TARDINUS

DE PILIS.

1645

X12
B C 13
25

XI, 2

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

TARDY, J.

65841 /A

XI 2

IOANNIS TARDINI TVRNONENSIS DOCTORIS MEDICI ET PHILOSOPHI.

Diſquiſitio Phyſiologica de Pilis.



TVRNONI,

Excudit CLAVDIVS MICHAEL, Typographus Vniuerſitatis.

Cum Priuilegio Regis.

M. DCXIX.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON.



ILLVSTRISSIMO MAXIMI HEROIS FILIO, DOMINO D. IVSTO HENRICO A TVRNONE Comiti Roſſillhionæo &c.

IOANNES TARDINVS. Turn. Med. Doct. S.

SICVTI qui pila ludunt, ante ioco præludunt, quã ſe ad ſerium certamen accingãt: ita ego (Comes Illuſtriſſime) *hoc veluti præludio, tentandum duxi, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, antequam in ſerium illud Medicinæ certamen, quod ab aliquot annis mente agito, deſcendam. Neque enim mens eſt, ſimplici*

tantum enarratione, ea proferre in medium, quæ ad ſingulas Medicinæ partes ſpectant: Sed excitatas etiam in illis controuerſias, à fundamentis aperire; diſsidentium placita, & quibus rationibus quiſque fulciatur, ex Græcorum, Arabum, & Latinorum, ſchola in medium proferre, moxque eam ſententiam, quæ rationi magis conſentanea videbitur, explicare; validiſsimiſque rationum momentis ſtabilire; ac denique contrarias obiectiones diſſoluere, conſiliũ eſt. Opus profecto arduũ & difficile, à paucis tentatum, à nemine abſolutum, quod tamen ad veritatem inueſtigandam, eſt peraccõmodatum: vt enim ex mutuo chalybis, & ſilicis attritu, ſcintilla excutitur ita dum diſsidentium placita, variæque ipſorum rationes adinuicem opponuntur, ex hac veluti colliſione, effulget clarior lux veritatis. Hac methodo dum Philoſophiam, Theologiam, cæteraſque liberaliores diſciplinas, pertractarunt recentiores, mirum eſt quantum lucis, & ſplendoris ipſis inuexerint: ac inter reliquos

liquos

liquos, nobiliſsimus ille Archiatrorum Comes D. Andreas Laurentius, præceptor meus obſeruandiſsimus, dum rem Anatomicam hac via pertractauit, poſteris eandem Spartam exornandi omnem ſpem ademit. In hoc negotio, quantum deinceps, otij dabitur, Deo duce, collocabo, cuius erit, hoſce meos conatus, quantum æternæ ipſius prouidentiæ viſum fuerit, promouere. Cæterum cum ſolenti, & ſolemni more, hæc prima animi mei fætura, ſub alicuius nominis ſplendore in lucem eſſet emittenda, cui potius, quam tibi (Comes Illuſtriſſime) *eam vel potui, vel debui conſecrare: Etenim, cum & patria ſim Turnonenſis; & in hac celeberrima Turnonēſi Academia educatus, quam Auguſtiſsimus ille fælicis recordationis* Franciſcus Cardinalis Turnonius *patruus tuus, à fundamentis excitauit: Sapientiſsimusque moderatoribus* Societatis Ieſu *tradidit gubernandam: quam Illuſtriſsimus ille tuus parens, nuſquam ſatis laudatus* Iuſtus Ludouicus Turnonius *aduerſus*

varios & multiplices ſtuctus, periculoſiſſimis temporibus, ſartam, tectam, maximo orbis Chriſtiani bono, conſeruauit, imò & maximè amplificauit, cum, inquam, & patria, & educatione ſim Turnonenſis, hoſce fructus tanquã in tuo amœniſſimo horto natos, poſſes tibi vindicare, nec eo iure tantum, quod in cæteros geris ſubditos, verum etiam, quod me variis beneficijs, tibi habeas deuinctum. Sed quo alio titulo glorioſiùs potuit hic liber inſigniri? ſub quibus auſpicijs, fortunatior in lucem prodire? aut cuius ſyderis benigniore aſpectu potuit irradiari? Etenim vt ea taceam ornamenta, quæ ab Auguſtiſſima illa Turnonenſium Heroum *familia, in te ſunt deriuata, quæ ſanè maxima ſunt, quis non eximias illas animi tui dotes, & amet & veneretur, Quam maturum in vireſcenti ætate iudicium: quãto perſcrutandæ veritatis ſtudio pectus exardeſcit: quam humanus, quam ſuauiſſimis moribus: quam virilis animus, nihil puerile, nihil vulgare in illo videas, Sed excelſa*

omnia

omnia, & quod caput eſt, maximum virtutum ſtudium, ingénſque vitiorum odium, in illo conſpicias, adeo vt non natura tantum, ſed propriis quoque virtutibus dignus ſit, qui auguſtæ illius familiæ Turnonenſis *ſplendorem poßit ſuſtinere.* O fiat, & diu fœlix viue.

Turnoni Calendis Iannuarij Anno Domini. MDCIX.

A MONSIEVR MONSIEVR DE TOVRNON COMTE DE ROSSILLHON, &c.

STANCES.

Sur la dedicacé du preſent œuure.

ENcore que le poil ſoit choſe bien petite,
Ie vous l'offre pourtant, auec vn humble cœur:
Il paroiſt a noz yeux, de bien peu de merite:
Mais ſi n'eſt-il en ſoy, de ſi peu de valeur.

Nous priſons volontiers, vne riche couronne,
Paree de brillants, ajancez d'vn bel art:
Le poil eſt l'ornement, que la nature donne,
Touſiours le naturel, eſt plus beau que le fard.

Auſſi l'homme qui eſt, chef d'œuure de nature
L'vniuers racourci, le Roy des animaux:
Seul porte ſur ſon chef, la longue cheueleure,
Qui luy ſert de couronne, & d'ornemens Royaux.

Ainſi iadis noz Rois, pour marque de Nobleſſe
Portoit des longs cheueux: & ce Roy tout-puiſſant,

Ceſt homme-Dieu vouluſt s'orner d'une grãd treſſe,
Ou pluſtoſt honorer la treſſe en la portant.

Tant que Sanſom gar la ſa longue cheueleure:
Vainqueur il renuerſa les Philiſtins à bas:
Sa femme luy coupant ceſte belle pareure,
Oſta les poils du chef, & la force des bras.

Vne teſte ſans poil, eſt vn pré ſans herbage:
Vne maiſon ſans toict: vn arbre ſans rameau:
Vn poiſſon ſans eſcaille: vn oyſeau ſans plumage,
C'eſt vn iardin ſans fleurs: & sãs laine vn troupeau.

C'eſt la barbe qui rend, l'homme plus venerable,
Qui luy donne vn maintien, graue & maieſtueux:
Auſſi ceſt lors qu'il prend ceſt habit honorable:
Quand l'aage, & la raiſon le rend plus vertueux.

D'vne muette voix nature l'admoneſte
De changer de façon auec ceſt ornement:
Ce n'eſt pas luy, dit-il, bien ſeant, ny honneſte,
D'auoir la face d'homme, & les mœurs d'vn enfant.

Mais ces ſourcils voutez: ces poils de la paupiere,
Ne nous preſchent-il pas la diuine grandeur:
Comme ils gardent touſiours, leur diſtance premiere,
Meſme ordre, meſme rang, meſme nõbre, & couleur.

STANCES.

Puis donc que Dieu ſe ſert, de choſe ſi petite
Pour nous repreſenter la grandeur de ſa main :
En ceſte qualité, aumoins elle merite
D'eſtre priſe de vous, auec vn front ſerain.

Recepuez dōc (Monſieur) *ceſte treshūble offrāde,*
Laquelle vient d'vn cœur plain de deuotion
Ie pourray bien vn iour offrir choſe plus grande:
Mais ie ne pourray pas croiſtre d'affection.

Voſtre tres-humble , & tres-obeiſſant
ſeruiteur & ſubiect

IEAN TARDY.

AD CLARISSIMI MEDICI DOMINI, D. IOANNIS TARDINI TRACTATVM DE PILIS.

EPIGRAMMA.

Virgilius culicem, ranam commendat Homerus
Quæritur in Paruis; Gloria magna Iocis.
Sic tibi de minimis venit Ingens fama Capillis
Et ſummis æquant te tua ſcripta viris.

Hieremias Lanerius Doct. Med. Lugdun.

IN EVNDEM TRACTATVM D. IOANNIS TARDINI MEDICINAE Doctoris Τετράςιχον.

Si magna, ex paruis conſurgit gloria rebus,
Eruere ex minimis maxima, maior erit:
Non igitur paruam laudem, Tardine, *mereris,*
Quòd capias villis maxima quæq; tuis.

Dominicus Perretus Med. Doctor.

ERVDITISSIMO VIRO D. IOANNI TARDINO MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO

Amico ſuauiſſimo.

In ſuam de Pilis diſquiſitionem.

EPIGRAMMA.

NOn te barba ſophon facit: at barbam ſophus ipſe
Dum facis: ipſa ſophon, te quoque barba facit
Omnibus iſta ſophis ſi barba crumperet, ipſum
Poſſet ſola virum prodere barba ſophon.

Ioannes Garinetus Med. Doct.
Byſuntinus.

IOANNES TARDINVS CHARISSIMO SVO IOANNI GARINETO Medici. Doctori peritiſſimo.

Non mihi mens fuit illa, ſophon me prodere barba.
Hoc potius noſtri pignus amoris habe.
Pignus amoris habe hoc, quod vitæ ſtamina ſoluens.
Soluere ſola queat: ſi tamen ipſa queat.

IN DOCTISSIMI VIRI IOANNIS TARDINI MEDICINAE DOCTORIS Diſquiſitionem Phyſiologicam de Pilis.

Carmen Phaleucium.

QVid, Tardine, *tuòs moraris auſus?*
Ecquid primitias tuas recondis,
Sacras Iatriæ, ſacras Sophiæ?
Forſan materies tuum libellum
Iſthæc dedeceat, quod, & puſilla,
Et nullis titulis decora, nullas
Laudes artifici ſuo rependat:
Immò perpetuas rependet, immò
Hic doctrina grauis, leporq́ multus
Vires ingenij feracis edunt,
Doctas multiplici valere niſu,
Meſſemq́ in ſterili fouere campo:
Nec poſſit medicus, reor, vel vllus
Tantum de reliquis docere membris,
Quantum de minimo doces capillo.
Sic multùm, exiguo tuo libello,
Grandeſcit minimus pilus: piloq́
Famoſus minimo, eſt, tuus libellus.
Artem perge modò iuuare: tantas
Si tantillus opes pilus retexit,
Quantas parturient tui labores,
Toto dum reliquas penu profundes?

Gilbertus Columbi Annonæenſis Medicus Symniſtæ ſuo chariſſimo. D.D.

IN PRIMITIAS MEDICAS PERITISSIMI D. IOANNIS TARDINI MEDICINÆ Doctoris.

VT medicus ſpectat minimos ex arte capillos,
Signaque de paruo maxima crine capit:
Atque vt naſcentem ſignat lanugine mentem,
Decrepitum niuea canitieque ſenem.
Sic lector luſtrans hoc ſana mente volumen,
Concipit è docto maxima ſigna pilo,
Et putat ex iſta crinis lanugine adulti.
Canitiem, miros poſſe referre pilos
Hanc noli Tardine *pili fraudare iuuentam,*
Poſtulat hæc canos irrequieta libros.

Theofredus le Meur Turnonenſis
Medic. & Philoſ.

AD EVNDEM D. IOANNEM TARDINVM MED. DOCT.

IN SVAM DE PILIS Diſquiſitionem.

DISTHICON.

SI doctè minima hæc; qualis cum maxima pandes.
Noſcitur vngue leo, noſceris ipſe Pilo.

Claudius Goyus Medic. Doct. Aruernus.

IOANNIS TARDINI TVRNONENSIS DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI.

Diſquiſitio Phyſiologica de Pilis.

CAPVT I.

1 Etiam in minimis diuina elucet prouidentia.
2 Galenus ex contemplatione pilorũ qui cilijs, & ſupercilijs ſunt implantati ad cognitionem Dei ſe erexit.
3 Non ſolum eandem magnitudinem, ſed eundem, ordinem, numerum, colorem, ferè, ſemper retinent hi pili.
4 Alius vſus horum pilorum ex Platonicorum ſententia, quæ à Peripateticis reijcitur.
5 Solus homo pilos habet in palpebra inferiore.
6 Malè Galenus diuinam omnipotentiam materiæ conditionibus alligauit.

INVISEBANT Heraclitum philoſophum familiares aliquot: eum cum in caſa furnaria degentem conſpexiſſent, ad tam anguſtos lares, & humile tectum accedere dedignabantur: quod vt

deprehendit Heraclitus, ſic eos compellauit: Adeſte, inquit, ô ſocij neque enim Deus ab hoc loco abeſt. Iiſdem ego te vocibus ad hanc pilorum diſquiſitionem prouoco (benigne Lector) adeſdum inquam, & pilorum naturam diligentiùs mecum perſcrutare, neque enim Deus aberit ab hac contemplatione. Occurrent profectò quamplurima, in quibus ſummi illius artificis prouidentiam, & infinitam ſapientiam, poteris & admirari, & venerari: namque & in minimis etiam ſe ſe illa prodit manifeſtè. Eſtne aliquid in tota entis ſerie deſpicacius, quam color apparens? at hoc ipſo conſtat cæleſtis ille arcus, ex cuius inſpectione inuitamur, vt domino benedicamus; *Vide arcum*, inquit Eccleſiaſticus, *& benedic eum qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in decore ſuo: gyrauit cælum in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt illum*, quin etiam veteres hunc ipſum arcum propter admirationem Thaumantis filiam, nuncupauerunt. Itaque ſicut pater familias non liberorum tantum, aut domeſticorum, ſed animalium quoque curam gerit, quorum miniſterio, & opera vtitur in re familiari: ita ſummus ille, & optimus totius vniuerſitatis parens dum hoc nobile nobilioris animæ domicilium architectaretur viliorum etiam partium (ſi tamen aliquod tanti artifi-

cis

cis opus vile ſit appellandum) omnium inquam partium curam habuit, voluitque in illis ſuæ prouidentiæ argumentum elucere, *Taurorum colla*, inquit Plinius, *& truces in ſublime iactus, Tygrium rapinas &c. admiramur; cum rerum natura nuſquam magis quam in minimis tota ſit.*

2. Et quidnam eſt hoc, inquies, quod tantopere in pilis admiraris? Et ego, quidnam eſt in pilis, inquam, quod non admiraris? Sanè Galenus noſter quem nonnulli rerum naturalium contemplationi affixum ita prędicant, vt quaſi malè feriatus ſe ſe altiùs attollere nequeat, nullumque principium natura ſuperius agnoſcat, ipſe inquam Galenus, ex pilorum contemplatione, eorumque potiſſimum qui ciliis, & ſuperciliis implantati ſunt ad ſupremi conditoris cognitionem ſe ſe euexit: modum & rationem ſubiicio. Cum oculos oſſeo munimento vndique obuallaſſet natura aduerſus maiorum corporum occurſationẽ: id vnum ei ſupererat prouidendum, ne minutiorum corporum occurſu quæ facilè ſe ſe oculis inſinuant læderẽtur; horum igitur iniuriis ſuperciliorum, atque palpebrarum pilos oppoſuit; illos quidem tanquam murum quendam ſuperpoſuit, vt ſordes, & ſtrigmenta capitis, aliaque corpuſcula è ſuperioribus

partibus irruentia primi exciperent; & imbricamenti inſtar aliò deriuarent: hos vero tanquam ſtipatores palpebris implantauit,& in rectum protendi voluit,ne fortè oculis patefactis,quidquam minutiorum corporum in ipſos incideret. Atque cum hos ad vſus neceſſe eſſet vt eandem magnitudinem perpetuò obſeruarent, ne vel minores ſuum munus exequi nō poſſent;vel prolixiores,oculorum actioni eſſent impedimento, propterea eandem ſemper obſeruant magnitudinem: neque abundante materia excreſcunt vlteriùs;neque eadem defficiente,vſquam decreſcunt quod admirans Galenus XI. de vſu partium cap. 14. ſic exclamat. *Num igitur, inquit, noſtri opifex ſolis his pilis æqualem ſemper ſeruare magnitudinem præſcripſit?hi autem ſiue Imperium præſcribentis metuentes;ſiue Deum ipſum præcipientem reueriti, ſiue faciendum id eſſe perſuaſi obſeruant id vt mandatum ſibi fuerat.* Miramur certos fines & limites immenſo illi Oceano à diuina prouidentia fuiſſe præſcriptos,quos nuſquam prætergrediatur, ſimile diuinæ prouidentiæ argumentum his in pilis agnoſceremus, & admiraremur,niſi fortè conſuetudo admirandi occaſionem adimeret.

3. Sed & alia infinitæ illius prouidentiæ argumenta hiſce in pilis elucent, neque enim

tantum

tantum eandem retinent magnitudinem, ſed & eũdem colorem ferè perpetuò obſeruant: cum enim pili capitis, & barbæ, per ſenectutem candeſcant, pili ciliorum intermedij priſtinum colorem, eumq́ue nigrum, aut ſubnigrum vt plurimum obtinent, vt ſcilicet externum lumen intentius retunderent: ipſamq́ue videndi aciem, quam externum illud lumen ſuo ſplendore diſgregat, hi ſuo nigrore congregarent, vnde quoniam ars ad imitationem naturæ effićta eſt; ſolemus nimium aeris ſplendorem, appoſita in ſuperciliis manu retundere. Quin etiam eundem ordinem, numerum, ęqualemq́ue diſtantiam perpetuò obſeruant hi pili, adeo vt cum pro temperamentorum diuerſitate, plures, aut pauciores erũpant, calidæ enim naturę multos, & copioſos pilos emittunt, frigidæ paucos admodum producunt, hi in omnibus naturis & temperamentis, calidis, frigidis, humidis, ſiccis, ſemper eodem numero, & ordine proueniunt: ne ſi pauciores eſſent non ſatis externum lumen retunderent: vel ſi copioſiores ne pupillam obtenebrarent.

4. Addunt Platonici palpebrarum pilos rectà in anteriores partes ferri, vt viſiuus ſpiritus quem ex oculis in obiectum irradiari decernunt commodiùs dirigeretur: quem vſtim

Peripatetici non admittunt, aſſerentes non per emiſſionē ſpirituum ab oculis in rem obiectam, ſed per immiſſionem ſpecierum ab obiecto in oculos fieri viſionem: vtcumque res habeat docet Galenus huiuſmodi pilis reuulſis, vel quauis ratione procidentibus, aut obliquatis, remotiora lōgè imbecillius internoſci viſu, ſiue quod viſiuus ſpiritus iuxta Platonicorum decretum, extra oculum emiſſus ſtatim diſſipetur: ſiue quod ex Peripateticorum ſententia, ſpecies ab obiecto emiſſæ non bene vniantur dum ad oculū appellunt.

5. Et ſanè cum Deus & natura nihil fruſtra moliri dicantur, ſolus homo inter omnia animalia pilos in palpebra inferiori ideo obtinuiſſe videtur, vt multo exactius corpora ſibi obiecta conſpiceret, dum appoſitis in vtraque palpebra pilis, ſpecies melius vniuntur, aut fortè quoniam cætera animalia prona ſunt, & ad terrā incuruata ideo pilos in ſola ſuperiore palpebra obtinuerunt, vt aduenientem ex inferioribus ſpeciem in oculum reflecterent: homo vero qui cæleſtes igniculos & diuinitatis ſemina in ſe includit, cum erecto capite cæleſtes etiam orbes eſſet contemplaturus, ideo pilos in inferiori palpebra obtinuit, vt eorum ſpecies deſuper aduenientes, horum miniſterio exciperet. Vide obſecro, quā pa-

rùm

rum æqua lance ſummi conditoris beneficia penſitemus. Quotus enim quiſque eſt qui intelligat huiuſmodi pilos ſibi ſoli inter omnia animalia conceſſos eſſe, hos ad vſus quos recenſuimus; quotus etiam quiſque eſt qui animaduertat eos recta in anteriores partes ferri: eandemque magnitudinem, colorem, numerum, ordinem, diſtantiamque perpetuò retinere; atque vt id obſeruarent, firmo denſo, & ſolido corpori fuiſſe implantatos.

6. Cæterum hoc loco, impium Galeni errorem diſſimulare non poſſum qui vt rectè ſummi conditoris prouidentiam, hiſce in pilis agnouit ita peſſimè & impiè de eiuſdem omnipotentia iudicauit: is enim xi. de vſu partium cap. 14. ſcribit ſe vna cum Platone, cæteriſque Græciæ ſapientibus qui de rerũ natura Philoſophati ſunt, à Moſis ſententia diſceſſiſſe, quod is res omnes ſola Dei voluntate & imperio conditas fuiſſe ſcriberet, illi vero materiam prius ſuis qualitatibus exornandam, & apparandam eſſe decernebant, antequã poſſet Deus ex ea quippiam facere: ita vt etiam ſi vellet Deus palpebrarum pilos recta ſtare, non tamen tales futuros, niſi duro, & firmo corpori eſſent implantati, verba eius dabo, *Poſtea verò quam eiuſmodi efficere pilos conſtituit, his quidem durum corpus inſtar cartilaginis*

cuiuſdam ſubiecit, alijs autem cutem duram Cartilagini per ſupercilia connexam: non enim ſat erat eos dumtaxat velle tales eſſe, neque enim ſi lapidem repentè velit facere hominem, efficere id poterit. Atque id eſt, in quo ratio noſtra, ac Platonis, tum aliorum qui apud Græcos de rerum natura rectè conſcripſerunt, à Moſe diſsidet, ſatis enim habet is ſi Deus materiã exornare velit, ea autem repentè paret atque eſt exornata: Omnia enim Deum facere poſſe arbitratur, etiam ſi ex cineribus equum, aut bouem facere velit; nos autem non ita ſentimus, ſed confirmamus quædã naturam facere non poſſe, eaq́ Deum ne aggredi quidem omninò; ſed ex ijs quæ facere poteſt, quod melius eſt eligere: iam vero cum pilos in palpebris ſatius eſſet æquales ſemper eſſe magnitudine, ac numero, non ipſum quidem id voluiſſe affirmamus, illos autem mox factos fuiſſe, neque enim id facere potuiſſet, affirmamusque eos etiam ſi millies voluiſſet, nunquam tamen tales futuros ſi ex cute molli producti fuiſſent, nam recti ſtare omnino non potuiſſent niſi in duro fixi fuiſſent. O homo, tu quis es, qui auguſtam illam omnipotentiam anguſtis impotentiæ tuæ limitibus audes coercere, an vero qui naturam condidit, naturæque leges indidit, non erit ſupra naturam, & naturæ leges? Decuiſſet potius te tuæ ignorantiæ conſcium immenſam illam omnipotentiam tacitus venerari quam ita temerè

temerè hiſce materiæ conditionibus eam alligare.

Capvt II.

1 Facies virilis, neque omnino glabra, neq; vndique pilis eſt obſita.
2 Barba, virilis maieſtatis ſymbolum.
3 In brutis etiam, Mas eminentiæ notam, ſupra fæminam obtinuit.
4 Pili capitis ſunt ornamẽto corpori vniuerſo.
5 Cur quædam Religioſorum familiæ pilos & barbam abradant, quædã prolixiores alant pilos.
6 Cur pili capitis non habeant certum accretionis terminum, ſicut pili ciliorum.
7 Pilorum contemplatio, & Philoſopho, & medico digna.
8 Duplex vtilitas ex hac contemplatione.

VIs tu eandem ſapientiam fortiter, & ſuauiter omnia diſpenſantem, in cæterorum pilorum ſtructura, & apta coordinatione contemplari? En tibi argumentum. Homo (virum intelligo) eſt animal veneratione dignum, ac maieſtate plenum, ita tamen vt ciuilis ſit, & manſuetus; decuit igitur in eius vultu, qui animæ quædam imago eſt, maieſtatem quandam humanitate plenam, atque humanitem veneranda maie-

ſtate ſtipatam elucere : Itaque neque pilis fuit vndique obſitus, ſic enim agreſtem atque ferocem vultum, brutorum inſtar exhibuiſſet; neque fuit vndique glabrus & depilis ſic enim mollem, & effæminatam faciem puerilemque molliciem præſetuliſſet, cum igitur, & brutis ſit manſuetior, & fæmina auguſtior, medium inter vtraque vultum obtinuit.

2. Scitè itaque Diogenes barbæ abraſionem cuidam ſic exprobrauit, an putas inquit naturam aberraſſe quod potius, virum te quam mulierem effinxerit? Eſt ſanè barba virilis cuiuſdam maieſtatis indicium, ac propterea apud quaſdam gentes in more fuiſſe poſitum legimus vt ſi quid luctuoſum viro contigiſſet, is non prius lamentaretur quam barbam depoſuiſſet, quaſi indecorum ratus, virum cũ virili ornamento, lamentis gemituq; & fœmineo vlulatu muliebres mores imitari: quem morem apud Hæbreos inualuiſſe ex eo colligimus quod Iſaias inter cæteras clades, barbæ abraſionem Moabitico populo interminetur. Sed & apud eoſdem ignominioſam fuiſſe barbæ abraſionem patet ex lib. 1. paral. cap. 19. Cum enim Dauid nuncios ad regem Hanon, miſiſſet vt eum de patris obitu cõſolaretur, cum hos coniurationis ſuſpe-

ctos

ctos rex barbarus haberet, ex altera maxilla barbam vnicuique abradi iuſſit; quod cum Dauidi renunciatum eſſet, mandauit vt priuatis in ædibus deliteſcerent quouſque barba erupiſſet; ne tam fœdum, & ignominioſum ſpectaculum populo exhiberent, accedit etiã quod Leuitici nono ſcriptum eſt, ex verſione ſeptuagi. *Non corrumpetis barbæ faciem, quia perfectionis noſtræ ſignum eſt barba.* Romanis quoque auguſtæ nobilitatis ſymbolum fuit barba. Cum enim veteres illi falſo deorum cultui addicti ſimulachra ſua efformarent, cum iis inſignibus quibus magnum aliquid ſignificari exiſtimabant: Phæniſſes qui mercaturæ erant dediti, Deos ſuos cum loculis effingebant; Lacedæmonij vt erant armis belloque potentes nihil armis diuinius & ſublimius æſtimantes Deos armatos, imo & Deas armatas exhibebant, Romani vero ſuos Deos Barbatos depingebant quod barbam eximiæ nobilitatis ſymbolum haberent. Quin etiam capta à Gallis Roma ſenatores purpura induti, & prolixa barba venerabiles, exedris, conſidentes, imprimis pro numinibus habiti ſunt, donec eorum aliquis cuius barbam Gallus audaciùs attrectarat, iniuriam baculo vltus hominem ſe prodidit. Quin etiam veteres philoſophos prolixam geſtaſſe barbam

pater

patet vel ex trita illa parœmia; barbam & pallium video, Philoſophum non video. Sed quod maximè ad barbæ commendationem facit ipſe Chriſtus Dominus noſter barbam prolixam geſtauit, & intonſam: & verò decebat hoc virilis maieſtatis ſymbolum, in illo virorum principe & maieſtate pleno intactum permanere.

Cæterum non in homine tantum, ſed in cæteris quoque animalibus, Mas auguſtioris cuiuſdam nobilitatis, & dominij ſymbolum ſupra fæminam obtinuit, vt ſunt in leonibus iubæ, in ceruis cornua, in ſerpentibus criſtæ; in aliis, apices, mithræ, lophi, & alia huiuſmodi, quod ſi hæc inſignia mari, & fæminæ communia ſint; in maribus tamen eminentiam quandam præſeferunt, quod vel domeſtico patet exemplo, nam in Gallis gallinaceis criſta multo firmior, denſior, amplior, compactior, vegetior, quam in Gallinis conſpicitur, vnde fieri arbitror vt in exectis Gallis criſta abſcindatur: detracta enim virtute illa, & eminentia maſcula, conſequens eſt, vt eius nota & indicium proſcindatur: ſed & apum regẽ mythram appellari adnimauerto, quod eminentiæ notam quandam ſupra cæteras in capite obtineat.

4. Sed vt ad alios capitis pilos accedamus quantum

quantum obſecro decoris & ornamenti corpori afferunt vniuerſo? Sicut enim nobilium palatiorum tecta non ad neceſſitatem tantum, ſed ad ornamentum quoque ſunt elaborata: ita capitis pili qui ſunt regij huiuſce domicilij tectum, non ad arcendas tantum externas iniurias, ſed ad totius quoque corporis ornamentum ſunt inſtituti. Arthemidorus filios tantum ornamenti patribus afferre decernit; quantum decoris pili addunt capiti: ac propterea ſi quis pilos ſibi auerruncari ſomniet, futuram puerorum mortem, vel aliorum ſanguine, aut neceſſitudine ſibi coniunctorum portendat. Atque vt contraria contrariis oppoſita magis eluceſcant: quid quæſo deformius, glabro, & depili capite, in quo ne boni quidem hominis pilus inſit?

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Sanè ad hanc defformitatem ex caluicie contractam rectè alluſit poeta ille eximius Fruſius lib. Epigram.

Caluus es abſque comis operum Caluine bonorum
Qui nudam Chriſti vis ſatis eſſe fidem.
Sed quia caluicium natura turpe videtur:
Illud hypocritico crine ſophiſta tegis
Caluicium Caluine tuum iam iamq; patebit,
Decutiet falſas aura ſuperna comas.

Vertice

Vertice tunc nudo magis es Caluine futurus
Simia quam glabro podice ridiculus

Sed & ipſe Eliſeus pueris Caluicium exprobrantibus cum maledixiſſet, vrſos habuit huius cachinni vltores,& cum in Cæſare,Caluicium tanquam profuſioris libidinis indicium notaretur, lauream coronam capiti circumpoſuit vt opprobrium occultaret.

5. Itaque cum ad ornamentum totius corporis,inſtituti ſint pili merito ſane religioſi viri,qui voluptatum illecebris , omnibuſque corporis blanditiis,perpetuum vale dixerunt pilos & barbam abradunt vniuerſam , vt ſe omnibus corporis ornamentis in poſterum priuatos denuncient,aut vt ſe libertatem eiuraſſe hoc indicio teſtentur, quem quidem morem ab Hebræis,aliiſque veteribus emanaſſe animaduerto; illi enim ſi qua repentina calamitas ingruiſſet,barbam,& pilos abradebant, vt ſe omnibus ornamentis ſpoliatos in ſummo mærore & triſtitia coram Deo ſiſterent. Quin etiam apud Ioſephum lib. 2. de bello Iuda. ſcriptum reperio Beronicem reginam vt Deo vota ſolueret pro ſalute, Hieroſolimas veniſſe,& pro more patrio hoſtiis cæſis,capilliſque deraſis, nudipedem ante tribunal ſtetiſſe. Si quæ vero religioſorum familiæ prolixiorem barbam geſtent, illi hoc

ſymbolo

ſymbolo admonentur nihil puerile, & effæminatum : ſed omnia virilia, virili animo, & cõſtantia deinceps peragenda. Sic refert Plutharch. in laconic. ſenem quendam interrogatum cur ſyluoſam, & denſam barbam nutriret, reſpondiſſe, ſe ex huiuſmodi barbę inſpectione admoneri, ne quid ea indignum committeret.

6. Verum hæc quæ lippis, & tonſoribus, nota ſunt, ſine ſubtiliori aliqua meditatione dimittenda non videntur. Cum pili qui ciliis, & ſuperciliis implantati ſunt, non ad ornamentum tantum; ſed ad vtilitatem quoque, quam ſupra commemorauimus eſſent inſtituti; atque ad eam præſtandam, eandem ſemper deberent ſeruare magnitudinem; quam homo (quæ noſtra eſt ignorantia) non poterat intelligere, ideo ſupremus ille artifex certas horum accretioni præfixit regulas : atque vt eas perpetuò obſeruarent, denſo, firmo, & ſolido corpori eos implantauit : at vero capitis pili, cum ad tegumentum, & ornamentum corporis ſint deſtinati: idem autem tegumentum non ſemper conueniat, eadem ætate, loco, & tempore, neque enim ſeni, & puero: locis calidioribus, & frigidioribus: ęſtate & hyeme: ſano, & malè affecto, idem debetur tegumentum; neque idem ornamentum viro &

mulieri

mulieri competit, ideo ſuprema illa prouidẽtia hoſce pilos ita machinata eſt, vt & prolixiores abſque vllo incommodo poſſent amputari, & breuiores in iuſtam, & conuenientem magnitudinem facilè ſe ſe attollerent.

7. Permulta alia non minori admiratione excipienda in hac pilorum diſquiſitione paſſim occurrent; adeo vt ſi admiratio Philoſophiæ parens nuncupetur, hæc pilorum conſideratio, germana Philoſophiæ pars cenſenda videatur. Quin etiam medico eadem eſt perneceſſaria; etenim vt tacitus prætereã varios pilorum affectus qui medicam opem efflagitãt, cuiuſmodi ſunt Rhopaloſis, Dichophyia, Quaſſatio, Atrophia, Ariditas, Fluxio, Alopecia, Ophiaſis, & illud non magis nouitate, quã ſymptomatum ferocia horridum morbi genus quod Plicam appellant (de qua paulo poſt diſſeremus) quid quæſo medico optabilius quam partium illarum quæ vniuerſo pręſunt corpori, ſuoſque ſalutares influxus ipſi cõmunicant, Cerebri inquam, Cordis, Iecoris, & earum quæ generationi deſtinatæ ſunt temperiem, dominantemque in ipſis humorem dignoſcere. At qui nemo vel à limine medicinam ſalutauit qui non intelligat pilorum varietatem, abundantiam, deffectum Caniciem, Caluiciem, mollitiem, hirſutiem,

harum

harum partium naturam, & temperamenta detegere,vt docet Galenus 2. de Tempera: in arte parua, & alibi paſſim, fuſiuſque Deo dante infrà demonſtrabimus. Accedit quod ad explorandam Iudæorum lepram, eiuſque ſpecies diſtinguendas, ſummus ſacerdos pilos diligentiùs inſpicere iubebatur: ſic enim Leuit.13. ſcriptum legimus. *Homo in cuius cute & carne ortus fuerit diuerſus color, ſiue puſtula, aut quaſi lucens quippiam, adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius; qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipſamq́; ſpeciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua; plaga lepræ eſt: & ad arbitrium eius ſeparabitur*, & multis de pilorum inſpectione interpoſitis. *Porro*, inquit, *ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronunciet mundum.* An vero antiqua illa Iudæorum lepra, ſit eiuſdem ſpeciei cum ea quæ noſtris temporibus paſſim ſpectatur, non eſt huius loci inquirere, id quidem certum eſt, ad eam lepram quæ noſtris viget temporibus diſtinguendam, pilorum contemplationem non infimum tenere locum, ſiquidem cum per eam maximè afficiatur cutis, pili qui ex hac ducunt originem (vt paulò pòſt demonſtrabimus) non poſſunt non affici, ea malè affecta vt docet

Ariſtoteles 5. de generation.animal.cap.4.

8. Eſt igitur hæc pilorum diſquiſitio, vt philoſophica contemplatione digna: ita medico pernéceſſaria: vtrique duplici nomine erit fortaſſe non iniucunda. Excitabitur enim quilibet imprimis ex hac meditatione, ad ſummam ſummi illius artificis prouidentiam admirandam, ſic enim tacitus ſecum contemplabitur. Si vel in ipſis pilis (quos plerique inter corporis recrementa adnumerant) tam manifeſtum appareat diuinæ prouidentiæ argumentum, qua quæſo ſolertia? qua ingenio? qua ſapientia? internas illas corporis partes architectatus eſt ſupremus rerum omnium opifex? Atque ſi corpus, animæ gratia conditum eſt, vt ſcilicet illius eſſet domicilium, & inſtrumentum ad eiuſdem functiones obeundas, quam nobilis, quam excellens, quam eminens, erit ipſa anima? Sanè hæc meditatio, mentem ſuauiſſima perfundet admiratione, efficietque vt exclames cum regio propheta *quam magnificata ſunt opera tua Deus, omnia in ſapientia feciſti.* Sed & tuæ te ignorantiæ conſcium reddet hæc diſquiſitio, efficietque vt intelligas, quam verè ſcriptum ſit à Salomone *Tradidit Deus mundum diſputationibus hominum; vt non inueniat homo, opus quod operatus eſt Dominus, ab initio, vſque ad finem:*

permul

permulta enim in hac pilorum diſquiſitione tibi occurrent, adeo intricata; vt vix te ab iis valeas extricare. Quod ſi naturam earum rerum quæ quotidie oculis obuerſantur, quaſque manibus attrectas tuis, perfectè aſſequi non valeas. Quomodo ſecretiores illos naturæ ſinus poteris explicare? Itaque te noſter hic pilus admonebit ne altum ſapias ſed timeas.

Multa tegit ſacro inuolucro natura; nec vllis
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia, multa
Admirare modo, nec non venerare, neque illa
Inquiras, quæ ſunt arcanis proxima; namque
In manibus quæ ſunt, vix hæc nos ſcire putandũ
Eſt procul à nobis adeo præſentia veri.

Capvt III.

1 Diſtributio totius operis, de materia primò agẽdum, quæ cum duplex ſit, in qua, & ex qua, de materia in qua, prius diſſerendum.

2 Materia pilorum in qua, eſt cutis interior, notatur Hippocratis locus libello de natura pueri.

3 Enarratur cutis hiſtoria ex Anatomico opere D. Andreæ Laurentij.

Iucunda varietas, & varia iucunditas quæ in pilorum contemplatione occurrit, fecit vt multa, & fortè nimis

multis de huius diſquiſitionis neceſſitate, & iucunditate diſſereremus. Nunc ſeriò manus operi admouenda & phyſica indagine pilorum natura examinanda. Ergo vt ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci: ſicut ad productionem rei neceſſarius eſt concurſus, & conſpiratio cauſarum, ita harum cognitio, ad rei notitiam aſſequendam, omnino eſt neceſſaria: itaque de pilis acturi, primo eorum cauſas, tum internas, tum externas, inueſtigabimus, quibus exploratis; de variis ipſorum affectibus diſſeremus, vt ſunt Canicies, Caluices, Criſpitudo &c. Quoniam autem naturæ, & generationis ordine, materia cæteras antecedit, ideo de ipſa primo loco dicendum occurrit: ac cum duplex ſit materia, vna in qua: altera ex qua: vtraque venit inquirenda; ſiquidem ad perfectam pilorum cognitionem, non parum conducit cognitio materiæ, ſeu ſubiecti in quo pili radicantur: ſicut enim plantæ, tum eiuſdem, tum diuerſæ ſpeciei; pro ſoli conditione, plurimum immutantur; quippe ſolo (vt inquit poetarum princeps) natura ſubeſt, ita pili pro cutis diuerſitate, non exiguam ſubeunt mutationem. Et ſane Ariſtoteles 3. de hiſtoria animal cap. 10. & 11. de pilis mentionem facturus, de ipſa cute, initio multa ediſſerit; docetque craſſitudinis,

nis, tenuitatis; copiæ, & magnitudinis, pilorum diſcrimina, pro partium quibus adhærent conditione: atque pro cutis qualitate prouenire, *ſit enim* (inquit) *magna ex parte vt pili duriores & craſsiores, cuti craſsiori innaſcantur,* quod idem repetit ſæpius 5. de generat. animal. cap. 3. alibiq́ue paſſim.

2. Pilos igitur ex cute oriri docet Ariſtoteles eodem in loco. *Pili autem* (inquit) *proportionaleq́, pilorum non ex carne, ſed ex cute oriuntur, quam ob rem, craſsi ex craſſa; tenues, ex tenui cute proueniunt,* cum autẽ duplex ſit cutis, vna exterior, quam cuticulam, ſiue Epidermida vocant Anatomici, altera interior, quæ dermis apellatur, ex hac poſteriori, pilos erumpere, vel ipſe ſenſus manifeſtè demonſtrat, & ex eo facilè conuincitur, quod pili (vt infra demonſtrabimus) humido pingui alantur, at intra primã, & ſecundam cutem, nullus adeps; ſub ſecunda, copioſus conſpicitur, ergo ſicuti plantæ agunt radices, in eas vſque partes, ex quibus alimentum poſſint prolectare; ita neceſſarium eſt, vt pili ex interiore erumpant cute, in qua ſcilicet copioſum ipſis ſuggeritur alimentum. Rectè itaque colligit clariſſimus, ac doctiſſimus D. Andreas Laurentius, Archiatrorum Comes meritiſſimus, & preceptor meus obſeruandiſſimus Hippocra-

tem libello de natura pueri καταχρηστικῶς Epidermidis nomen vſurpaſſe, dum ſic habet, qua parte ἐπιδερμὶς eſt ἀραιότατη, & quo loco poſterius rareſcit, illic enaſcuntur pili; ſiquidem Epidermidis nomen pro dermide hoc loco ſumpſit Hippocrates. Cæterum cutis hiſtoriam, tam doctè, & eleganter conſcripſit D. Laurentius, vt non pigeat illam ad verbum, hunc in locum transferre.

3. Cutis membrana eſt omnium ampliſſima, & tanto reliquis craſſior, quanto vniuerſi corporis moles amplior; ad eam vaſorum fere omnium extrema deſinunt, vnde fit vt acerrimi ſit ac exquiſitiſſimi ſenſus, nec à ſubiecta carne niſi cum dolore auelli poſſit, ſubſtantia eſt ſpermatica propterea nunquam (niſi in mollioribus) κατὰ πρῶτον σκοπὸν coaleſcit, ſed κατὰ δεύτερον tantum, ideſt, per medium heterogeneum, cicatricem vocant, quę reliqua cute perpetuo durior eſt; neque vnquam ob denſitatem, in homine capillatur. Temperiem inter reliquas partes, cutis obtinuit moderatam, quia tactus erat iudex, & æſtimatrix; at organum omne decet eſſe ἄποιον, ideſt, alienæ qualitatis expers: non eſt planè exanguis, vt neruus, nec omnino ſanguine abundans, vt caro; ſed veluti ſanguine præditus neruus; quod mediam inter carnem,

nem, neruumque naturam ſit adepta; & ex paribus quodammodo eorum portionibus componatur. In homine ſolo temperatam eſſe cutim putat Albertus, eamque prætenuem, & diaphanam; vnde ad feneſtras parandas, Perſarum quendam regem ea olim vſum fuiſſe legimus;in cęteris animalibus aut teſtacea eſt, aut mollior. Figuram peculiarem nullam habet, ſed eam à ſubſtratis, & ſubiectis partibus mutuatur; ibi æqualis, hic inæqualis exiſtens;nunc prominens, & extuberans;nunc intus contracta: ſed & variis lineamentis ,quaſi rugis,pro motuum varietate,eſt implicita, ex quorum aſpectu Chiromantici mira pollicentur. Calor ſpermaticarum partium, licet ſit candidus, in cute tamen,ratione humorum, & ſubiectorum corporum, variegatus apparet. Qualis humor inquit Hippocrates libello περὶ χυμῶν, talis color in cute effloreſcit, pallet bilioſorum cutis, nigricat melancholicorum, roſeo rubore ſuffunditur ſanguineorum. Cutis tota foraminulenta eſt; ſed eorum foraminum, alia ſunt conſpicua, alia oculorũ aciem effugiunt; illa finita ſunt, immitendi in corpus, aut emittendi aliquid gratia comparata vt in oculis,naribus,auribus,ore,vmbilico,pudendis, ano: hęc infinita,ad διαπνοὴν ἄδηλον, ideſt,

inſenſilem tranſpirationem ſudorum,& fuliginum excluſionem, neceſſaria. Quibus rara, & crebris, exilibuſque ſpiraculis peruia eſt cutis,ab internis,quæ ἐνέοντα vocat Hipp. quaſi inutilia dixeris, minimè offenduntur, quibus vero dura,denſaque eſt cutis,quia fumidis vaporibus aditus denegatur, hi læduntur facilè;ἡ δέρματος ἀραιότης inquit bonus ſenex, ſectione tertia libri ſexti Epidemion ἡ κοιλίης πυκνότης ideſt cutis raritas, ventris denſitas. Cutis, actionem communem, & officialem nullam edit, vſum tantum præſtat corpori: eſt autem eius multiplex vſus, etenim, ab externis iniuriis vniuerſum corpus tutatur, quod primus agnouit Hippocrates libel. περὶ σαρκῶν. Extremum ait corporis aeri expoſitum neceſſario pellicula tegitur, occurſu frigidi,& ventorum. Sed & vniuerſum corpus inueſtit cutis, partiumque omnium calorem fouet,tuetur,conſeruat.Accedit quod per cutim, humanum corpus partium multiplici ſtructura varium, vnum fit σύμφυσιν que habet. Τὸ δέρμα inquit ſummus dictator libro de oſſium natura πάντων ξύνδεσιν καὶ ξύνταξιν ideſt, cutis omnium exhibet colligationem. Quin etiam ad declinandas iniurias conſtructa eſt, nam cum exquiſitiſſimi ſit ſenſus, eorum quæ nocitura

ſunt,

ſunt,ſtatim nos admonet. Poſtremo cum in immenſum extendi non debeat corpus, partium omnium terminus,& extremum, dicitur cutis, quam propterea debilem de induſtria conſtruxit natura, vt internarum partium exciperet ſuperuacua, ſunt qui ob eam rem Emunctorium vocent vniuerſale. Galen.comm. ad Aphori. 21.ſect.1.inter τὰ ξυμφέροντα χωρία ideſt loca vacuationi conferentia recenſet.Cutis ſubſtantia, & connexio non eſt vbique eadem,hinc variæ cutis differentiæ,quædam enim mollior, & tenuior eſt, vt faciei,penis, & ſcroti, quædam durior, vt verticis,dorſi, & plantæ pedum, quædam in mollicie duricieque media, vt quæ manum integit, maximeque ſummos digitos, modò callo, vti foſſoribus non ſit obducta. Rurſus cutis quædam pertinaciſſimè partibus adhæret,vt volæ manus,tum ad firmiorem apprehenſionem,tum vt tangendi facultate exquiſitiore polleret,quædam laxa eſt,& facilè ſeparatur,vt Thoracis,Abdominis, & reliquarum partium: neque vero ſilentio prætereundum eſt, cutem in quibuſdam partibus vt fronte, & facie vniuerſa προαιρετικῶς hoc eſt iuſſu,& ſponte noſtra moueri; in reliquo corpore planè eſſe immobilem.

Capvt IIII.

1 Vt plantæ in terra, ſic pili in cute certam temperiem deſiderãt, in actiuis qualitatibus.

2 In paßiuis quoque, mediocriter debet ſe habere cutis, ad effundẽdos pilos.

3 Etiam in ſecũdis qualitatibus, raritate ſcilicet, denſitate; tenuitate & craßicie debet eſſe temperata.

4 Ex primis qualitatibus, calor, & ſiccitas, promouẽdis pilis benefaciũt.

5 Cutis hominis, cum ſit temperatißima, debet comparari cum terra in eo ſtatu ſpectata quem ſortitur Vere.

6 Cur, cum cerebrum frigidum ſit, & humidum Pericranium tamen ipſi ſuperpoſitum, copioſos, prolixos, & craſſos pilos emittit.

7 Ex ſecundis qualitatibus; raritas, & craßities ad pilorum productionẽ maximè conducunt.

HAnc cutis hiſtoriam lubens ſubieci, quoniam ex ea, quamplurima, ad noſtrum inſtitutum conducentia, eruentur, vti in progreſſu patebit. Cæterum, quoniam pilos è cute erumpere, ſicut plantas, è terra, docent gra,

grauiſſimi Philoſophi: ideo ſicut plantæ, in terra certam deſiderant temperiem,& apparatum: ita & pili, certam diſpoſitionem in cute poſtulant; ſicuti per æſtus,& ſolis incendium, terra nullas plantas de nouo producit, imò & iam productas, eo tempore tabeſcere conſpicimus: ita per febrium incendia, nimis calefacta cute, pili ſæpenumero ex ea defluunt: ſimiliter ſæuiente hiemali frigore terra alendis ſtirpibus inepta eſt: ita natiuo calore defficiente,ſenes calueſcere,frequens monſtrat experientia.

2. Certam quoque paſſiuarum qualitatum temperiem ad pilorum productionem deſiderat cutis,vti demonſtrat Gal. 2. de Temp. cap. 5. Sicut enim plantæ, neque in vdoſo, neque in arenoſo ſolo, proueniunt; ita pili, neque in ſicciſſima, neque in humidiſſima, cute generantur; atque ob nimiam ſiccitatem, ea animalia, quæ vel cruſtata ſunt, vt Oſtrea,Locuſtæ,Cancri,Teſtudines: vel quæ ſquammas habent, ſiue tenues,vt ſerpentes, ſiue craſſiores, vt piſces: hæc inquam, pilis omnino ſunt expertia: ſimiliter in homine interna manuum & inferiora pedum ſemper glabra ſunt; quod hiſce partibus denſiſſimus. Tendo ſubtendatur;quamquam alij huiuſce euentus cauſam, à fine potius deſumendam

decer

decernant,cum conſtet,lepores, aliaque animalia hiſce in partibus pilos emittere, quorum tamen cuti, tendo reuera ſubſternitur. Syncipur quoque,frequenter Caluicium patitur in ſenibus, quod cutis Capitis,nudo oſſi incumbens, occaleſcat, & incruſtetur: quin etiam, cum humana cutis nunquam coaleſcat, quod ad primam; ſed tantum quoad ſecundam intentionem, vt patuit in ſuperiori hiſtoria,ideo vulnerata nunquam repileſcit, quia cicatrix, qua vulnus obducitur, ſiccior, & denſior eſt cute. Dixi (humana cutis)quia alia eſt ratio, de cute brutorum, vt patet in Equis,& Aſinis;in his enim dum cutis vulnerata coit,rurſus pilos emittit,vt docet Ariſtoteles problemat 26. ſect. 10. quod problema inferius examinabimus.Ob nimiam vero humiditatem, infantum tenera corpora, vt & mulierum,pilis ſunt denudata,cuius rei cauſa eſt quod meatus illi, per quos pilus emittendus eſt,ob nimiam molliciem partium, illico obturentur; ſicuti ſi mollem, & tenerum caſeum acu perfores, ſtatim molliores illæ partes concidentes,foramen opplebunt.

3. Sed & in ſecundis quoque qualitatibus, mediocritatem quandam debet cutis obtinere,vt pilos effundat;potiſſimum vero in raritate,& denſitate,& tenuitate, & craſſitie, ſi enim

enim rarior ſit,& tenuior cutis, materia pilorum facilè exhalabit; ac propterea vt annotat Scalig.in Carda. Exerc. 114.nullum eſt facilius,aut commodius,pſilothrum,ſiue remedium,pilis euellendis accommodatum,quam Balneum tepentis aquæ,ſiquidẽ humido balnei calore, laxatis poris, pili facilè diffluunt: ſic videmus,in alueis Iſiciarios depilare ſues, aqua calida conſperſos, laxatis enim à calore, cutis meatibus, manipulatim pilos detrahũt; ſin autem cutis denſior ſit, & craſſior, pilum non ſinet erumpere.

4. Quænam eſt ergo cutis diſpoſitio, promouendis pilis aptiſſima? Reſpondeo in primis qualitatibus, calidam, & ſiccam, cutis Temperiem, ad pilorum productionem maximè eſſe accommodatam. Hæc aſſertio eſt Galeni 2.de Tempera. cap. 5. *Calida igitur & ſicca intemperies* (inquit) *hirſuta eſt,verum ea in ſummo:* & paulò pòſt, *nuda pilis ſunt frigida omnia temperamenta,ſiue ea mediocriter ſe habeant in humiditate,ſiue immodicè; cæterum ad ſummum glabra eſt,frigida temperies,& humida*: & confirmatur experientia, quia Enuchi barbam non emittunt, ob deffectum caloris illius quem Teſtes in mentum reflectunt;& quibus Cor, aut Iecur calidius eſt:hi circa illas partes hirſuti euadunt. Accedit quoq; ratio manifeſta ſiquidem

ſiquidem ad pilorum productionem, meatus cutis debent eſſe liberi,& patentes, ipſorum item materia debet attenuari, & quaſi in halitum reſolui, quæ omnia ſine caloris miniſterio perfici non poſſunt. Siccitatem autem promouendis pilis benefacere, ex eo patet, quod ſimilia ſimilibus conſeruantur, & ab iiſdem producuntur: pilus autem ſicciſſimus, ſolidiſſimus,& firmiſſimus eſt;ergo à cute, ſimili temperamento donata,& ſuſcitabitur,& conſeruabitur. Sed & ipſa experientia id ſatis apertè demonſtrat,infantibus enim,à primo ortu pili ſunt admodum exigui, & imbecilles quod ſcilicet ipſorum cutis molliſſima ſit;hæc autem dum procedente ætate,ſiccior euadit non tantum priores pili firmiores craſſiores, & denſiores euadunt; ſed & noui etiam toto pene corpore exurgunt.

5. Obiicies cutem ſe habere ad pilos: vti ſe habet terra ad plantas; hæ autem in ſicciore, & arenoſo ſolo non producuntur, ergo neque pili in ſicciore cute generabuntur. Hanc obiectionem proponit Galenus l. c. & benè diſſoluit,aſſerens terram, vt terra eſt ad extremã ſiccitatem deuenire poſſe, itaut alendis ſtirpibus omnino ſit inutilis;atque terram ſic affectam cuti teſtaceorum animalium, & ſquammatorum,ritè conferri poſſe, non au-

tem humanæ quæ tẽperatiſſima eſt,ac proinde huic reſpondere debet ea terræ conditio quam ſortitur in ipſo Vere. In huiuſmodi autem terræ ſtatu, videmus lætiores, & fæcundiores, plantas erumpere, quo magis ad æſtatem vergitur, quo tempore, calidior eſt, & ſiccior terra. Quod autem in ſyncipite, cutis nonnunquam occaleſcat id peculiarem habet cauſam, nempe quod, nudo oſſi ſuperpoſita ſit.

6. Obiicies 2. Cor eſt multò calidius & ſiccius ipſo Cerebro: ſimiliter & Iecur intenſiorem obtinet calorem, & ſiccitatẽ quam Cerebrum: hoc enim omnium corporis partium frigidiſſimum, & humidiſſimum eſſe perhibetur. Atqui Caput multo copioſiores, prolixiores, craſſiores effundit pilos, quam vel Thorax, vel Hipochondria. Ergo calidior, & ſiccior, temperies, non eſt promouendis pilis conuenientior. Reſpondeo primò copioſiores pilos in capite erumpere, quod cutis capiti incumbens, craſſior ſit reliqua cute quæ corpus inueſtit; hæc enim adeo tenuis, & rara eſt, vt materiam ex qua pilus coagmentandus eſt, continere non poſſit, vnde fit vt ipſa exhalet antequam in pilum fuerit conuerſa. Reſpondeo ſecundo quamuis Cerebrum innato temperamento frigidum ſit,

& humidũ,cum tamen cordi è directo ſuperponatur copioſum ab eo calorem excipere, quem per ſuturas ad pilorum radices tranſmittit. Atque hunc ſitum,ſiue rectitudinem, Cordis,& Cerebri,ad pilorum productionem plurimum poſſe, ex eo manifeſtè conuincitur, quod cætera animalia, quibus pronum eſt caput, & ad terram incuruatum, paucos admodum pilos, & exigui incrementi, emittunt circa caput, quia ſcilicet Cor è directo, ipſorum capiti non reſpondet ; ſed potius initio dorſi,& collo; ac propterea his in partibus,pili maximè luxuriant; niſi eorum materia, in Cornuum productionem faceſſat. Sed occurrit & tertia, à fine deſumpta ratio: neque enim naturæ ſolertia, in pilorum diſtributione deſideranda eſt ; ſicuti nec in aliarum partium ſtructura. Docta igitur ſine magiſtro natura pilos diſtribuit iuxta cuiuſque conuenientiam : equis copioſos ad caudam relegauit pilos : vt commodiùs muſcas, & ſtrigmenta cutis,quibus maximè infeſtantur crebra agitatione excuterent. Leporibus, etiam in pedibus pilos ſuppoſuit, ne dum terram fodiunt,ſibíque cauernas moliuntur; occurſu durioris corporis, læderetur cutis nuda : aut fortè,quia vt plurimum in latibulis degunt,hæc veluti calceamenta his largita

eſt

eſt benigna parens,ne animal alioquin frigidum, frigore terræ magis læderetur: addo etiam,naturam de animalium duratione ſollicitam,ſingulis, pro cuiuſque conditione, certa præſidia largitam eſſe; quoniam igitur hoc animal meticuloſum, ſola fuga, propriæ ſaluti conſulit; ideo propugnaculum aliquod pedibus ſupponendum erat, ne ex frequenti & veloci motu, læderentur. Cæterum decebat huiuſmodi propugnaculum, admodum ſolidum eſſe, ea tamen cautione, ne ſuo pondere, motus celeritatem retardaret, quos ad vſus non poterat conuenientius, quam ex pilis apparatum, excogitari. Quoniam igitur,magis decebat prolixiores pilos, in capite, quam vel in Thorace, vel Hypochondriis ſuſcitari;fecit natura philantropos vti magis decebat; id autem decuit, tum ad indumentum; tum ad ornamentum capitis; ad indumentum quidem, quia neceſſe erat partem humidam,& frigidam,aliquo tegi indumento, ornamento verò huiuſmodi pilos eſſe capiti iam oſtenſum eſt.

7. Quod vero ad alias qualitates ſpectat. Docet Ariſtoteles quinto de genera. animal. cap. 3. ex cute craſſiore,& rariore, craſſiores, & denſiores pilos produci: ex rariore enim cute copioſa exhalat materia, accedẽs autem

cutis craſſities, facit vt eleuata materia longiorem moram in meatibus trahat; ſicq; in firmum, & craſſum pilum efformetur. Vnde fit vt ſues, multo craſſiores emittant pilos, quam vel boues, vel Elephanti, quamuis enim hæc animalia craſſiorem habeant pellem, quam ſues, quia tamen cutem habent denſiorem, neque meatus ita apertos, ideo tenuiores effundunt pilos: ſimiliter & ouium pili (vellus enim multitudo pilorum eſt) ſunt tenuiſſimi quod ipſarum cutis, tenuiores habeat meatus. Homo verò, in Capite prolixos, & craſſos pilos emittit: quod cutis Capitis craſſa ſit, & rara, cæteris vero partibus, aut nullos, aut exigui incrementi emittit pilos, ob nimiam cutis tenuitatem, de qua ſequenti capite nobis agendum eſt.

CAPVT V.

1 Cutis humana, tenuiſſima, & admodum imbecillis, à natura efficta eſt.

2 Tenuitatis cauſa eſt, vt tactus exactior, qualitatũ exſuperantias perciperet, & ſpecies ad intelligendum neceſſarias ſubminiſtraret.

3 Bruta, craſſiori, & firmiori pelle donata quã homines, quia arte ſibi veſtimenta comparare non poterant. Cur pili ſingulis annis in illis ſint decidui. temerè natura incuſatur, quod tenuiorem hominibus cutem dederit.

4 Examinatur problema Ariſtotelicum 29. & 31. ſect. 10. cur Equis & Aſinis pili è cicatrice promere ſe ſe poſſunt hominibus non poſſunt.

CVtem hominis admodum tenuem eſſe (excepta ea quæ caput integit) iam non ſemel diximus, idemque variis in locis inculcat Ariſtoteles: ac inter cætera quinto de Genera Animal. cap. 5. Sic habet *cauſa colorum in cæteris cutis eſt, alborum enim alba eſt cutis, nigrorum nigra; variorum, permiſtorumq́; partim*

alba , partim nigra eſſe conſpicitur. At in homine, cutis nulla cauſa eſt: qui enim ſunt albi, admodum nigros habent capillos: cauſa eſt quod homo omnium maximè tenuem cutem habet, pro magnitudine. Itaque nihil ad pilorum mutationem cutis valet, imò præ ſua imbecillitate ipſa mutatur, & vel à ſole, vel à flatu redditur nigrior, nec pili vllo pacto cum ea mutantur. Ex quibus Ariſtotelis verbis, duo colliguntur cutis attributa, alterum eſt, cutem hominis maximè tenuem eſſe, pro magnitudine corporis, alterum eſt, cutem admodum imbecillem. *Imo*, inquit, *præ ſua imbecillitate ipſa mutatur*, de vtróque humanæ cutis attributo nobis ediſſerendum.

2. Ergo tenuiſſimam cutem, pluribus de cauſis obtinuit homo; ac imprimis ea fuit naturæ ſolertia, ne craſſiore cute, tactus hominis fieret hebetior: quem admodum exquiſitum eſſe decebat; tum quia, exquiſitam temperiem ſortitus, quæ velut ad quoddam naturæ æquilibrium effic̃ta videtur; vt hanc conſeruaret; vel minimas qualitatum exſuperantias debuit euitare; has autem deuitare non poterat, niſi beneficio tactus haberet exploratas. Accedit quod tactus, vt & cæteri ſenſus, hominibus inditi ſint, non tantum ad vtilia proſequenda, & noxia deuitanda, ſed etiam ad intelligendum, vt patet ex trito illo

Philo

Philoſophorum axiomate, *nihil eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu.* Itaque quanto dignitatis interuallo, homo ſe ſupra bruta attollit, tanto exactiore ſenſu, ea debuit ſuperare, ac potiſſimum ſenſu tactus, huius enim munus eſt, differentias quatuor primarum qualitatum explorare, ex quibus cæteræ ſuſcitantur, ex qualitatum autem notitia, latentem rerum naturam ſolemus inueſtigare, atque in hac perquiſitione, conquieſcimus vt plurimũ: qua in re, Æſopicam illam] vulpem imitari videmur, quæ cum anguſtiſſimis vaſis reconditos cibos attingere non valeret, ne à Cygonia riſu exciperetur, vaſa ipſa circumlambebat, finxitque, ſe vapore, & odore alimenti, benè obſonatam: ita & nos cum abditas, & veluti in Democriti puteo deliteſcẽtes, rerum naturas, & eſſentias, percipere non valeamus, aliquot duntaxat rerum qualitates, exploramus, & in earum cognitione (quæ noſtra eſt miſeria) conquieſcimus. Decuit ergo hac ratione hominis tactum exquiſitiſſimum eſſe, ac conſequenter, hominis cutem eſſe tenuiſſimam. Ex quo factum eſt, vt Plinius referat fuiſſe nonnullos qui opinati ſint, ſubtilitatem animæ conſtare non ſubtilitate ſanguinis, ſed cute, operimentiſque corporis; atque animalia pro maiori tenuitate, aut

craſſitie cutis,magis,aut minus Bruta eſſe; ac propterea hebetes, & tardo ingenio παχι-λέρμους quaſi Craſſipelles nuncupant Græci; ad quod facetè, vt & cætera ſic alluſit Plautus: *meus Herus, Elephanti corio circumtectus,non ſuoſt,neque plus habet ſapientiæ quam lapis.*

3. Altera cauſa, cur homo tenuiſſimam cutem nactus ſit,hæc eſt,natura ſicut non defficit in neceſſariis; ita nõabundat in ſuperfluis: Bruta quia nulla arte, & induſtria ſibi tegumenta parare poterant, ad arcendas aeris iniurias, idcirco bona mater, firmiſſimam, & craſſiſſimam cutem,ab ipſo ortu; pro cuiuſq; conditione, ſingulis largita eſt; & quoniam idem tegumentum, non competit omnibus anni tempeſtatibus, ideo cuti pilos circumpoſuit;qui per æſtus eſſent decidui,& aduentante frigore renaſcerentur, homo autem quia arte,& induſtria veſtimenta ſibi parare poterat,non indiguit ea naturæ ſolertia, quæ potius impedimento futura erat, ad exerendas ſublimiores illas functiones, ad quas ipſe ſupra brutorum conditionem deſtinatur. Vide ergo quam iniqui ſint rerum æſtimatores, qui naturam ideo incuſant, quod Bruta cornibus,vngulis, firmiſſimo corio,& cæteris huiuſmodi præſidiis armauerit: hominem vero nudum, & inermem effinxerit, nam

præter

præterquam quod hæc nuditas ad exercendas ſublimiores animæ functiones conducit plurimum;illis etiam præſidiis apparandis rationem dedit dirigentem, & manus exſequentes.

Nudus homo quamuis materna prodeat aluo,
Artibus innumeris commoda mille parat.

4. Atque ex hac cutis tenuitate ſoluendum eſt Problema illud Ariſtotelis quod proponitur ſect.10.probl. 29. & 31. Cur equis,& aſinis,pili è cicatrice promere ſe ſe poſſunt, hominibus autem non poſſunt,Reſpondet Ariſtoteles cauſam eſſe,quia in cæteris animalibus, tergus per ſe eſt pars corporis, hoc eſt (vt ego explico) tergus eſt pars corporis à cæteris diſtincta. In homine vero, cutis eſt veluti effloreſcentia carnis,ſeque illa ad hanc habet, vt cruſta quæ pulti ſuper extenditur, ad pultem: ſicut enim cruſta, nihil eſt aliud, quam ipſa puls, frigore aeris condenſata; ita cutis nihil eſt aliud, quam ipſa caro, frigore externo ſolidior facta; cum igitur caro vulnus acceperit, aut attrita fuerit, magis condenſatur & priſtinum ſtatum immutat;quare mirum non eſt ſi eo immutato, pilos, amplius non effundat, at vero iumentis attritis, vbi ad ſanitatem redierunt, partes vitiatæ, corporibus denuò eiſdem replentur; ac propterea

pterea ex his, pilus rurſus emergere poteſt. Verum hæc reſponſio, dum vnam difficultatem enodare nititur, multas alias producit: imprimis enim ex ea cutis hiſtoria, quam ſupra recenſuimus, & ex communi Anatomicorum conſenſu, patet, cutem veram eſſe partem corporis, à carne, cæteriſq; partibus, diſtinctam; imo ipſe Ariſtoteles, capitis cutē ideo ſenſus expertem eſſe decernit, quod nulla ei caro ſubſternatur, ſic enim habet 3. de hiſtor. animal. c. 11.† Senſu cutem ipſam carere conſtat maximeque in capite quoniam ibi nulla interpoſita carne oſſi adhæreat. Vbicunque cutis per ſe ac ſine carne eſt, vulnerata non coit, vt in gena bucca præputio palpebra,† ex quo ſequitur cutem non poſſe eſſe carnis efflorefcentiam & exultationem vt loquitur Ariſtoteles neque enim poterit effloreſcere caro vbi non eſt. Sed eſto, cutis hominis non ſit pars diſtincta, ab ipſa carne: ſitque in brutis, tergus, pars diſtincta à cæteris partibus: ſanè ex eo ſequitur, in cicatricibus hominum pilos potius debere produci, quam in cicatricibus cæterorum animalium, ſiquidem caro poteſt reproduci: non tantum quoad ſecundam intentionem, vt loquuntur Anatomici, ſed etiã quoad primam: ac propterea idem Ariſtoteles Pro-

blem.

blem. 31. eiuſdem ſectionis, idem problema proponens aliam reddit rationem huiuſce euentus, quod ſcilicet in homine, cicatrix denſior euadat, itaut ab infirmiore pilo peruadi non poſſit; cur autem denſitas illa in hominis cicatrice contingat; potiuſquam in cicatricibus cæterorum animalium, rationem non reddit: ego ex tenuitate cutis humanæ, petendam iudico; cum enim cætera animalia firmam, & denſam cutem, nacta ſint, ea vbi vulnerata eſt, ob inſitum robur, rurſus poteſt coaleſcere; etiam quo ad primam intentionē, quod voluit innuere Ariſtoteles his verbis. *At vero Iumentis attritis; vbi ad ſanitatem redierunt, partes vitiatæ, corporibus denuo eiſdem replentur.* In homine verò cutis tenuiſſima, & admodum imbecillis; vulnerata, rurſum non coaleſcit, niſi per ſecundam intentionem, hoc eſt beneficio calloſæ ſubſtantiæ quæ de nouo adnaſcitur quæ cum duriſſima ſit non poteſt à pilo peruadi.

Capvt VI.

1 Agreſtes homines craſſos ex vniuerſa cute pilos emittunt, quod ipſa cutis aeri expoſita craßior & durior euadat.

2 Alia ratio huius euẽtus à fine deſumpta.

3 Natura dum cuti ſubſtraxit robur, eius incolumitati, totiuſq; corporis bono conſuluit ſicuti cum Strutioni amorem erga fœtum denegauit, fœtui prouidit.

4 Quæ incommoda ſequantur tenuitatem, & imbecillitatem cutis: de Schytarum more qui vt cutem indurarent recens natos in frigidam mergebant, damnatur hic mos à Galeno.

AD hunc quoque locum ſpectat quæſtio illa, quid cauſæ ſit, cur Agreſtes homines, & brutorum more per ſiluas oberrantes, toto corpore piloſi, & hirſuti euadant. quod Regi Nabuchodonoſor contigiſſe ſacræ prodiderunt literæ: ſic enim cap. 4. Danielis ſcriptum legimus, *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum*

fectum eſt; donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius, quaſi vngues auium. Valeſ. de ſacra Philoſophia cap. 81. huiuſce euentus cauſam refert, in copioſam fuliginē, craſſiſſimæ melancholiæ, quam Nabuchodonoſor contraxerat, ex illo inordinato victu. Verùm hæc ſententia non omnino ſatisfacit: conſtat ſiquidem permultos variis affectibus melancholicis detineri, copioſúmque humorem melancholicum coaceruaſſe, quibus tamen, nihil huiuſmodi contigiſſe viſum eſt: ſed neque valdè copioſum humorem melancholicum coaceruare potuit, ex vſu fœni, & herbarum, quin potius crudum, & pituitoſum ſuccum ex huiuſmodi victu, conſequutum fuiſſe, admodum credibile eſt. Itaque hirſutus toto corpore euaſit rex ille, craſſoſq́ue adeo emiſit pilos, vt pennas aquilarū, craſſitie æmulari viderentur; quod eius cutis aeri expoſita, & rore cæli infecta, multò craſſior, & firmior euaſerit, ſiquidem vt ſuprà monuimus, homo toto pene, corpore, ſi caput excipias, exiguos, & pauci incrementi gerit pilos, quod adeò tenuem habeat cutem, & & raram vt humor ex quo pilus erat coagmentandus, prius euaporetur, & exhalet, quā in pilum fuerit conuerſus. Ergo deffectus pilorum in homine, aut potiùs eorum exilitas,

non

non oritur ex deffectu materiæ, vt pote quæ multa homini ſuppetat, ſed ex nimia cutis tenuitate, & raritate, dum igitur cutis Regis Nabuchodonoſor, craſſior, & firmior euaſit, copioſi ex ea pili, & craſſiſſimi ſuſcitati ſũt, nã vt ſupra ex Ariſtotel. oſtenſum eſt, craſſi pili ex craſſa cute, & tenues ex tenui ſuſcitantur. Quod autem huiuſmodi vita agreſtis cutem induret demonſtrat Ariſtoteles 5. de gener. animal. cap. 3. *Oues* (inquit) *frigidi tractus contra quam homines afficiuntur: Schythæ enim molli ſunt pilo; at oues ſauromaticæ duro, cauſa eadem quæ in omnibus feris eſt: frigus enim indurat, propterea quod cogendo exſiccat, cum enim calor eximitur, humor vnà euaporatur: itaque non ſolum pilus, ſed etiam cutis terrena, duraq́ euadit: cauſa in feris vita agreſtis eſt.*

2. Occurrit & alia ex fine deſumpta ratio: Ars & natura mutuas adinuicem ſibi nauant operas; ſicut enim ars naturæ: ita natura artis deffectum ſupplet. Cum igitur Rex Nabuchodonoſor, alijq; agreſtes homines veſtimenta ſibi nõ poſſent comparare, hunc artis deffectum, benigna voluit ſupplere natura, tegumentum ex pilis ipſis conficiendo.

3. Iam verò vt ad cutis imbecillitatem accedamus: ſanè in ea non tam deſideranda naturæ ſolertia, quam ſummi opificis admiranda

tanda prouidentia; etenim cum humanum corpus plurimis ſcateat excrementis, non craſſioribus tantum, qualia ſunt quæ per ſeceſſum,& vrinas exturbantur: ſed tenuioribus etiam: quæ vaporis aut fuliginis inſtar, extra corpus per cutem erant exturbanda, vnde & ipſam vniuerſale corporis emunctorium nuncupari,in ſuperiori cutis hiſtoria diximus, hanc ipſam partem de induſtria debilem effecit natura; ne dum partes interiores ſua recrementa in corporis ſuperficiem deponerent,ipſa ſi robuſtior eſſet, reluctaretur; atque in huiuſmodi pugna, longiorem moram feciſſent excrementa, maximo ipſius cutis, totiúſque corporis diſpendio.

Vide obſecro quam ſuauiter diſpenſet omnia; æterna creatoris prouidentia, quæ ſubtrahendo huic parti robur, eius incolumitati, & durationi conſuluit. Simile, in re diſſimili, habes diuinæ prouidentiæ argumentum,in Strutio camelo.Cum enim ſummus ille vniuerſitatis parens ſingulis animalibus,maximum in fouenda prole amorem indiderit, adeout videamus ipſas aues,ouis incubantes, quaſi cibi & potus immemores,vix vnquam ab ipſis dimoueri: hunc ipſum fouendæ prolis amorem. Strutiocamelo ſubtraxit diuina prouidentia, eumque ſubtrahendo

hendo fætui conſuluit; quoniam magnum erat periculum ne animal illud graue & ponderoſum, ouis incubans, ea obrueret, quod admiratur Iob cap. 38. *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis Herodij, & Accipitris, quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? obliuiſcitur quo pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat: duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtra laborauit, nullo timore cogente; priuauit eam Deus ſapientia, neque dedit illi intelligentiam.*

4. Sed vt ad cutem redeamus; eius tenuitas, & imbecillitas ſunt cauſa, cur homo ſolus vitiligine teneatur, vt docet Ariſtoteles Problem. 5. ſect. 10. Eandem quoque ob cauſam, fit vt affectus cutanei ſint nonnunquam maximè rebelles, & contumaces; vt patet in fæda ſcabie, area, tineis, & aliis huiuſmodi, quin etiam eadem cutis tenuitas cauſa eſt, cur homines à variis aeris mutationibus potius afficiantur quam Bruta, hæc enim cum firmiſſima cute obuallata ſint, non facilè aeris mutationes excipiunt, vnde aut nihil, aut parum admodum ab his illa affici deprehendimus: hominis vero cutis tenuiſſima, facilè varias illas mutationes in internas corporis partes tranſmittit vnde fit vt plerique, vel à leuiſſima aeris mutatione variè afficiantur mutationes temporũ inquit Hippocrates pariunt mor

morbos. Hæc igitur incommoda vt deuitarent, Schytæ alijque nonnulli ſolebant pueros recens natos in aquam frigidam demergere, vt frigore externo, cutis firmior, & ſolidior euaderet, quem morem expreſſit Virgilius his verſibus,

--- Natos ad flumina primum
Defferimus, ſæuoq; gelu duramus & vndis.

Cæterum hunc morem deteſtatur Galenus 1. de ſanita. tuenda. tum quod infans in apertum mortis periculum coniiciatur: tum quod ad conſeruationem vitæ, neceſſe ſit vt cutis non omnino induretur, quod ſcilicet debeant per eam multa excrementa euaporari, vult igitur ad mediocrem cutis indurationem ſufficere modicam ſalis aſperſionem. *Ergo inquit recens natus infantulus faſcijs deligetur, ſed corpori prius toti ſale modice inſperſo quo cutis eius denſior ſolidiorq; ijs quæ intus ſunt partibus reddatur.*

***

Ca

CAPVT VII.

1 In internis quoq; corporis partibus, pili nonnunquam generantur.
2 Pilos in renibus genitos, cum vrina exturbari, docent Hippocrat. Galen. & alij.
3 In vaſis quoque ſpermaticis producti cũ vrina emittuntur.
4 Etiam intra veſicam generantur pili, qui vel ſoli ſponte exeunt, vel cum vrina.
5 E mammis etiam exit pilus, quem Ariſtoteles, alijq; nonnulli, in potu aſſumptum, ad vbera confluxiſſe exiſtimant.
6 Multo probabilius eſt huiuſmodi pilum intra mammarum ſubſtantiã fuiſſe productum.

QVanquam ex ordinario naturæ inſtituto, pili in ea tantũ cute quã ſuprà deſcripſimus, enaſcantur, non infrequenter tamen in partibus internis quoque ſuſcitantur; ſæpe enim per vrinam emittuntur, qui vel in renibus, vel in vaſis ſpermaticis, vel in veſica, geniti fuerant: quin & alui recrementis permixti, extra corpus amandantur; è mammis quoq; non

non infrequenter exeunt. E ſthomaco quoque glomeratim impliciti aliquando eiecti ſunt, cordi, & teſtibus adnatos deprehenderunt Anatomici: & quod horum omnium admirationem longè ſuperat, in Plica non tantum pili cuti implantati, arctè inter ſe implicantur; ſed quod maximè miſerum, maximáque commiſeratione dignum eſt, in iis qui huius morbi ſæuitia extincti ſunt, venę copioſis pilis infarctæ viſuntur. Quæ quidẽ, quia noua & fortè pleriſque parum fide digna videbuntur, grauiſſimorum virorum authoritatibus ſunt nobis fulcienda.

2. Pilos igitur cum vrina exturbari, monet Hippocrates Aph. 76. ſect. 4. *Quibus cum vrina craſſa, exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt, his à renibus excernitur*; quem Aphoriſ. Galen. explicans, aſſerit ſe in vrina cuiuſpiam talia corpora pilis ſimilia conſpexiſſe, quæ ad dimidium cubitum extenderentur ac propterea huiuſmodi affectionem τριχίασιν, ſiue capillitium à recentioribus fuiſſe appellatam; de qua eadem affectione diſſerens 6. de locis affect. cap. 3. aſſerit, ſe in vrina pilos tantæ magnitudinis conſpexiſſe, vt ingenue fateatur cauſam tantæ magnitudinis ſibi eſſe incognitam. Cardanus comment. ad eundem Aphoriſ. Capillos, inquit, primum flauos; ad

palmi maioris longitudinem vidimus,& aliorum colorum. Braſſauolus Comment. in ſupradictum Aphoriſ. In vrina (inquit) Principiſſæ Elleonoræ Eſtenſis veluti capilli videntur, quandoque ad ſpithamæ longitudinem extenſi, qui tamen potius matulæ adhæreſcunt, quam per vrinæ ſubſtantiam diſpergantur, ipſaque in dies aperientibus potionibus ſumptis,& ex febre, & ex horũ capillorũ generatione liberatur. Idem docent Actuar. l.1. c.21. de cauſis vrinarum; Chriſtophorus Auega cap.4.comment.de vrinis. Ioubertus cap. 20.de Vrinis qui omnes huiuſmodi pilos in renibus efformatos decernunt.

3. Fernelius verò huiuſmodi filamenta cum vrina exturbata,in vaſis ſpermaticis elaborata fuiſſe opinatur 3. Patho. cap. 16. *Filamenta inquit albis capillis ſimilia,à renibus reddi, author eſt Hippocrat. At ipſi animaduertimus,ea ſæpius ex ijs vaſis ſpermaticis deriuari quæ paraſtatæ dicuntur, in quibus teretem figuram ſortiuntur ex ſeminis materia,quæ vi morbi ſenſim defluẽs, calore craſſeſcit. Apparent autem in ijs plurima, qui fæda, exulcerataq́, Gonorhæa correpti non ita pridem fuerunt;& ijs mulieribus quibus albicantes menſes profluunt; aut vterus fæda colluuie turget, nonnunquam & vrina quæ prima fit à concubitu,tale quiddam refert aut aliquantum filamento craſſius.* Hoc

Ferne

Fernelij placitum confirmat id quod Plutarchus refert. 8. Sympoſ. Problem. 4. de quodam Ephebo Athenis degente qui villoſum quendam vermem cum copioſo ſemine emiſit.

4. Cæterum, quoniam nullus ex authoribus iam citatis apertè affirmat huiuſmodi pilos cum vrina exturbatos, veros eſſe pilos, & eiuſdem conditionis, cum iis qui cuti innaſcuntur; Authorem dabo qui manifeſtè decernit pilos huiuſmodi per vrinam excretos veros, eſſe pilos; & eiuſdem naturæ, cum pilis externis, is eſt Schenchius qui lib. 3. obſeruationum Medicinal. Obſer. 325. ſic habet. Domi meæ, inter reliqua κειμήλια, aſſeruo faſciculum verorum pilorum, ſubflauorum, tenerrimorum, digiti longitudine, quibus hinc inde accreuit calculoſa materia, qualis matulis vrinariis alias adhæreſcere ſolet, colore, & odore propemedũ ſulphuris; in veſica cuiuſdam mulieris Argentinę, in noſocomio menſibus aliquot decumbentis, natos; & cum vrina excretos, quos ab eiuſdem noſocomij Medico induſtrio Thobia Cneulino, conſilium ad rarum hunc affectum à me petenti tranſmiſſos accepi. Ex quo enim illa anno 1573. in Xenodochium recepta fuit, primis duobus menſibus, tanta vrinæ reddēdæ diffi-

cultate, cum tam intenſis, & implacabilibus doloribus coniuncta, vrgeri cæpit; vt non niſi præſentiſſimis remediis adiuta, diu duratura, ſuffecturaque haud videretur: itaque fabarum aqua; cum aliis exhibita, vrina quidem propulſa; ſed vna quoque pilorum faſciculus collo veſicæ iam infarctus, & bona ſui parte propēdens, à medico forſicula præſectus eſt, faſciculum hunc pilorum, celeberrimis eius Reipublicæ medicis oſtendit, rem vt accidit recenſet, & cum illis communicat, qui in commune conſultantes, rarum, & inauditum affectum admirantur, quibuſdam ad renum τριχίασιν referentibus; alij veros pilos eſſe animaduertentes, ad incantationem potius, & magicas præſtigias retulerunt. Profertur interea morbus ad plures menſes, quibus miſera mulier nihil dum remiſſis cruciatibus, licet non admodum tabeſcente corpore, per interualla, plures huiuſmodi glomos, iam vi quadam è collo veſicæ extractos; iam ſua ſponte cedentes excluſit ſæpe. Tentantur multa & varia remedia quibus leuari quidem ſibi aliquando viſa, ſed quę affectum tollerent omnino comperta nulla. Et paucis interiectis. Pilos ego igni admotos, verorum more flagrantes, & nidorem ex ſe remittentes, multis aliis videntibus conſpexi; cuius rei

αυτοπτικὸς teſtis ipſe eſſe poſſum, & petentibus vel hodiè periculo facto oſtendere queo. Quare nullus dubitauerit quin veri pili ſint & plurimum à Galenicorum, & ſcholarum renum Trichiaſi, affectus hic diſtet.

5. E mammis etiam pilos cum lacte erumpere ſcribit Ariſtoteles 7. de Hiſtor. Animal. c. 11. quanquam non in mammis genitos, ſed potu aſſumptos ad vbera denique cõfluxiſſe exiſtimet verba Ariſt. ſubiicio. *Vbera tota fungoſa ita ſunt, vt ſi in poculo, pilũ fortè hauſerit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malum pilare appellant, nec ſedatur, donec pilus vel preſſus exeat ſponte, vel cum lacte exugatur*, Ariſtotelis ſententiæ ſubſcribit Alſaharauius tract. 14. cap. 2. Practicæ. *Pilus hominis* (inquit) *bibitus à muliere cum aqua, vel ſumptus cum cibo, cuius ſignum eſt in mammilla rubedo, mammillæ fortis dolor, febris, & dolor capitis, quouſq; egrediatur pilus, & quando egreſſus fuerit, ſtatim deſinunt omnia huiuſmodi accidentia: & mihi quidem iam viſum fuit, & non fuit, apud me dubium fuiſſe pilum hominis, & hoc notum eſt apud mulieres.*

In eandem quoq; ſententiam ſic ſcribit doctiſſimus Thomas Auega in Caput 8. 6. de locis affectis *perſuaſum vulgo eſt, mulierum bibentium pilum, inflammari vbera, & cum multo dolore febrire, petente pilo lactantium vberum laxitatem,*

quæ omnia exeunte cum lacte, pilo, quieſcunt, nec verò inanis eſt fabula, credidit Ariſtoteles, vidit & curauit Alſabarauius, vt minus concedamus negantibus iunioribus; nec abſurdum eſt vel epotum; vel cũ cibo ſumptum pilum, ob ſanguinis ad vbera confluxum, & partis laxitatem, eo confluere. Eandem ſententiam tuentur Cardanus 8. de varietat. c.44. Cælius Rhodig. aliique complures.

6. Alij, huiuſmodi pilum in mammis potius genitum, quam per os aſſumptum in eas deriuaſſe ſtatuunt. Mercurial. lib. 5. variar. lect. cap.4. *Patrocinari* (inquit) *Ariſtoteli non poſſum cum lib. 7. de Hiſtor. Animal. cap. 11. ſcribit tota vbera ita fungoſa eſſe, vt ſi in poculo fortè mulier pilum hauſerit, dolor moueatur in mammis: quaſi pilus hauſtus, ventriculum, Meſeraicas, Iecur, atque adeò venas ipſas, non mutatus pertranſire, & ad mammarum cauernas per mille anfractus peruenire queat, quod planè puerile eſt cogitare.* Idem ſentiunt Alexander Benedict. lib 3. Anato. cap. 4. Veſal. lib. 5. cap. 18. de corporis humani fabrica. Rondelet. in Hiſtoria Aquatilium cap. de Cancro fluuiatili. Atque hæc poſtrema ſententia magis arridet, nam vt omittam eas rationes quas affert Mercurialis cum pili in plurimis partibus internis ſuſcitentur vt iam ſuprà demonſtrauimus & ſequentibus capitibus oſtendemus, cur eos intra mammas

generari negemus, cum conſtet in illis copioſam ineſſe materiam ex qua pili ſuſcitantur vtile ſcilicet excrementum, partium ſolidarũ, tertiæ coctionis, vt poſtea declarabimus.

CAPVT VIII.

1. E ſthomaco, pili glomeratim impliciti per vomitum reiecti.

2 Intra cutem quoq́ꝫ, infantibus pili generantur qui Balneo foras euocantur.

3 Morbum hunc infantilem lõgè diuerſum eſſe à cridonibus quos his in locis infantes è dorſo emittunt.

4 Cur Cridones illi potius è dorſo erumpant qúam ex anterioribus partibus.

5 Cordi etiam & teſticulis muliebribus adnatos pilos obſeruarũt anatomici.

6 Sanguini quoq́ꝫ copioſi pili permiſti.

E ſthomaco pilos glomeratim implicitos nonnunquam euomi narrant non infimæ notæ authores. Manardus lib. 5. hiſtoriæ ſimplic. Medica. ex nouo orbe delatorum cap. de verbena. *Quidam* (inquit) *me præſente, vomitu reiecit magnum tenuium, & ſpadiceorum capillorum*

glomum, adſeruabatq́; in papyro inuolutos plures alios, quos binis horis ante euomuerat. Cluſius in annotatione ad eum locum. *Simile etiam* (inquit) *exemplum, antè multos annos accidere memini Iureconſulto celebri apud Antuerpianos, qui certis anni temporibus, materiam, in multos veluti muliebrium capillorum glomos congeſtam, excernere ſolebat, qua reiecta meliùs habebat.* Simile narrat Foreſtus lib. 15. Obſeruat. 29. *Anno* (inquit) 1562. *Quidam cum diu tonſillarum, gutturis, ac faucium inflammatione laboraſſet, multiſq́; remedÿs vſus eſſet, incidit in manus cuiuſdam Empirici, & epoto neſcio quo medicamento, enormi ſeceſſu, tùm vomitu violento ſubſequente, crines conglomeratos magna vi euomuit; in tantam anguſtiam prius coniectus vt ſe diſrumpi & in partes lacerari clamaret: Erant autem crines rubri, tanquam à barba raſa priùs expullulante inciſi, valdè curti, producti mox, in vnum conglomerati, eiecti; à qua eiectione: per tres dies ſpuendo, minutos pilos emiſit & priſtinæ ſanitati redditus eſt.*

2. Subcutaneos quoq; produci pilos oſtendit Pilaris ille morbus, infantium propriùs de quo Ioannes Crato. lib. 3. Conſilio & Epiſto. vbi Epiſt. Andreę Dudit. profert in medium, quæ ſic habet. *Liberi mei quod te libenter cogniturum, pro tua in me beneuolentia certò ſcio, iam tandem conualeſcunt, vnius naturæ aut potius Dei*

naturę

naturæ omnis opificis beneficio, nullum enim ſibi adhiberi remedium paſſi ſunt, quod quoties tentabam ita renitentes animaduertebam, & ab omni Pharmacorum genere abhorrentes, vt maius à medicina quam ab ipſo morbo periculum impenderet. Hoc vnum experiri libuit, mulierculis Polonis valde vſitatum, quod mihi profectò miraculi loco eſt, idq́ue eo magis, quod nullam eius rei cauſam inueſtigando reperire poſſum. Inÿciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lauabant, panis in micas friati manipulus, Cineris item parum: Elotis pueris, aqua percolata, panis ille in maſſam compingebatur: hæc maſſa, in diuerſas partes manibus diſtracta, magnã ſubtiliſſimorum pilorum copiam, oculis offerebat primo die, ſubſequentibus autem diebus, pauciores pili: poſtquam conualuerunt, prorſus nulli apparuerunt. De hoc affectu ſcribit Hieronimus Montuus de infantium febribus, & malis.

3. Cæterum ab hoc infantili morbo longè diuerſus eſt is, qui in Gallia noſtra non infrequenter viſitur, quem deſcribit Ambroſius Pareus ſuæ Chirurg. lib. 7. cap. 21. *Dracunculorum mentio aliud abſceſſus genus rarum mihi in mentem reuocat; id cridones, noſtrates Galli nominant: pueros præſertim diuexat, ac quaſi ſpinularum aculeis compungeretur dorſum, huc illuc ſe iactant quietis impatientes; ab exiguis quidem, quæ vix aciculæ longitudinem, ſed craſſis, & ſpiſſis, pilis, oritur id*

malum: curatur fotu aquæ pluſquam tepentis; quem mox ſequatur litus ex melle, & farina frumentacea, ſic enim pili ſubcutanei eliciuntur, & euocantur foras. Sanè vel ex ſola vtriuſque morbi deſcriptione manifeſtum apparet inter vtrumque diſcrimen: in illo enim pauci tantum erumpunt pili, ijque admodum craſſi, & porcorum ſetis ſimiles; in hoc vero, copioſi & tenues pili conſpiciuntur. Quin etiam in infantili morbo, pilis è cute abiectis, parui vermiculi poſtea erumpunt, vt patet ex eadem Epiſtola Andreæ Dudith. *Præterea* (inquit) *humeros, & brachiola inunximus farina aceto permixta; vix peracta vnctione, & abluta, ſtatim eminebant ex cute, diuerſis locis, tubercula quædam puſilla, vt papauera, coloris cinericei (quæ ab illis vermium capitula eſſe dicuntur) ea ſtatim cultello abradebantur, niſi id ocyus fieret, recondebantur iterum, & intra cutem ſe recipiebant, hi quoq; ſiue vermiculi ſiue quouis alio nomine vocentur, primo multi ſe ſe proferebant, poſtea pauciores, poſtrema vnctione nulli.* Conſtat autem in noſtrate affectu, nihil tale contingere, craſſis enim & ſetaceis illis pilis exeuntibus, miteſcunt omnia ſymptomata.

4. Cur autem ſetaceus ille pilus, è dorſo potius, quam ex anterioribus partibus erumpat, cauſam colligo ex Hippocr. 5. Aphoriſmo 69. vbi ſcribit, febrium rigores à poſteriori-

bu

bus partibus inchoari, quod poſteriores, anterioribus ſint frigidiores, hoc autem probat, ex eo quod cutis, in anterioribus partibus, rarior ſit, & pilos effundat, non autem in poſterioribus; itaque ſi quando contingat vt pilorum materia (quam quidem in hoc pilo exiſtimo eſſe oſſium, aliarumq́ue partium ſolidarum terrenum recrementum) in illas partes detrudatur, à denſiore cute retinetur, ita vt intra ipſam cutem pilus efformetur, efformatum, verò dum virtus expultrix, foras propulſare nititur, huic niſui obſtat cutis dẽſitas, vnde ipſa pungitur, ac vellicatur, & conſequenter graues excitat dolores, & grauia ſymptomata, quæ Epilepticis ſimilia ſint, itaq́ue denſior illa cutis fotu tepentis aquæ rarefacienda, ſic enim his pilis ſetaceis liber patebit exitus.

5. Cordi quoque adnati pili frequenter viſi ſunt, Celebris eſt Hiſtoria apud Plinium de Ariſtomene Miſſenio, qui poſt multas ſtrages in Lacedæmonios editas; cum ab ipſis etiam captus ſæpius euaſiſſet, tandem Lacedæmonij tertio captum diſſecuerunt, Piloſumq́ue Cor, & hirſutum inuenerunt, ſimile quid de Hermogene ſcribunt Græci, cuius de Rhetorica libri exſtant: & de Leonida Plutarchus, in Paralelis, teſte Cælio Rhodi-

gino

gino Antiqua lect. lib.4. c. 16. Ant. Muretus lib.12. variarum lectionum cap. 10. *Ipſe quoq; memini* (inquit) *cum Vænetiis eſſem, de nobili quodam latrone, ſumptum ſuppliciũ, qui cum à Carnifice diſſecaretur, corde admodum piloſo repertus eſt*, ſimilia narrant, Luſitan. Centur. 6. Curat. 65. de alio graſſatore audaciſſimo. Beniuenius cap. 33. de Abditis, de Latrone patibulo ſuſpenſo; Euſtathius de Lyſandro, & Alexandri cane. Numeroſos quoque pilos muliebri teſticulo ſuccreſcentes annotauit Gaſparus Bauthinus. Quod & item obſeruauit Ioannes Bauhinus, vt refert Schenchius libro quarto Obſeruat. 116. *Lugduni* (inquit) *anno 1578. Aprilis 13. cum ſubito mortua eſſet mulier, ego imperante magiſtratu, adiuncto alio medico, & Chyrurgo, corpore externè, & internè, priùs diligenter inſpecto, nullam cauſam ſubitaneæ mortis inuenire potuimus; præter eam quam Magiſtratui retulimus; nempe tumorem magnum teſticuli dextri, ob copiam pilorum, & materiei ſimilis ſeuo, cum pure, vnde matricis præfocationem violentiſſimam, & lethalem excitatam fuiſſe veriſimile eſt.*

6. In venis denique pilos enaſci, refert Cardanus in Aphoriſmum ſuprà citatum, vbi ſcribit ſe Hiſpano cuidam Conſilium dediſſe, qui ſanguinem, & excrementa pilis conſperſa paſſim emittebat, quin etiam in venis eorũ

qui

qui Plica extincti ſunt copioſiſſimi pili reperiuntur, quid autẽ ſit Plica ſequenti cap. declarandum.

CAPVT IX.

1 Plica ſic appellata eſt, ab implicatione, & inuiſcatione indiſſolubili pilorum omnium.

2 Plicæ Hiſtoria ſubijcitur, ex Epiſtola qua Zamoſcienſis Academiæ rector, Patauienſes medicos conſulit.

3 Morbus hic videtur à maleficis inuectus, quod multa maleficia pilorum miniſterio exerceantur: Dæmon ab Hebræis quomodo appelletur.

4 Pontus Euxinus iuxta quem graſſari cœpit is morbus maleficijs infamis, in eo cultus diuinus negligitur.

QVoniam in hac diſquiſitione paſſim occurret Plicæ mentio; Eſtque morbus, non magis nouitate, quam Symptomatum copia, & ferocitate admirandus: non alienum erit à noſtro inſtituto, eius hiſtoriam deſcribere. Atque vt à nominis Ethimo ordiar. Sortitur hic morbus appellationem, ab intricatione, & implicatione pilorum; nam per eum morbũ pili

pili primo incriſpantur, paulò pòſt eriguntur, inuoluuntur, atque indiſſolubiliter coniunguntur, adeout aliquando maximi alicuius ſerpentis, aliquando plurium, & minorum anquium effigiem, repreſentent; & quod à ſæculo inauditum eſt, acu puncti vel transfixi ſanguinem emittunt. Huius morbi deſcriptionem, meliùs ſubiicere non poſſum, quam ex ea Epiſtola qua Zamoſcienſis Academiæ Rector, Patauienſes medicos conſulit, orátq; vt nouo huic, fœdo, & crudeliſſimo morbo, ſuppetias afferant. Ea ſic habet paucis præmiſſis.

2. *Inter Vngariam, & Pocutium, Prouinciam regni Poloniæ, quæ montibus, ex quibus, fluuij complures erumpunt, inter ſe diſtinctæ ſunt, eueniebat vt pleriſque hominibus, vnus & alter cirrus excreſceret, cum vicinis ſibi crinibus, in ſe introrſus, implicatus, & denſus; & tum quidem nulla re moleſtus erat, nunc ſerpere cœpit is morbus, & latè per totum Regnum Poloniæ, magno omnium malo, magnoq́; cruciatu diuagatur.*

Infringit oſſa, laxat artus, vertebras eorum infeſtat, membra conglobat, ac retorquet; gibbos efficit, pediculos fundit, caputq́; alijs, atque alijs ſuccedentibus, ita opplet vt nequaquam purgari poſſit: ſi Cinni radantur, humor ille, & virus in corpus relabitur, & affectos vt ſuprà ſcriptum eſt torquet, omnes artus,

omnes

omnes iuncturas, omnes corporis partes, exagitat. Expertum eſt qui tales faſciculos implicatorum perarctè inter ſe crinium deraſerint, eos oculis capi, aut defluxionibus, ad alias corporis partes torqueri. Purgationibus vſitatis, ſi illi medeare, ægreſcit, & exſuperat magis, quod noxios humores, nequeat ſuperare purgatio; ſed commotos per totum corpus diſpergat: tanto enim dolore, omnium deinceps membrorum, hac affecti peſte ardent, vt ad cruciatus acerbitatem, nihil poſsit eſſe acrius.

Maximam partem fæminas inuadit, viros etiam, qui in Luem veneream propendent; tum liberos ab ijs procreatos, qui tali Lue fuerunt infecti: Eos etiam qui Porriginem capitis (quam vulgus Tineam vocat) medicamentis repercutientibus repreſſerunt. præterea fæminas, quæ menſtruis temporibus non ſatis purgantur; Quarum quædam, dum in ætate adoleſcentiore, fluxum ſanguinis per nares, menſtruo modico nimis profuſum, identidem habuiſſent, ætate prouectiore, eo fluxu per nares ceſſante, in ipſum morbum cirrorum delapſæ ſunt. Quidam quanquam perrari, cum aliquot annis, hoc genere morbi cruciati, exagitatique fuiſſent, nec caput raſiſſent; vexationemq́ eius omnem, & pædorem, & ſpurciciem non ſine ſumma moleſtia, & nauſea, penè intollerabili pertuliſſent, tandem virulentis, illis cirris decidentibus, conualuere: maxima tamen pars perit.

Quæ

Quæſita ſunt, & tentata varia remediorum genera, ſed nullum eſt ſatis idoneum adhuc repertum.

3. Ferunt Gorgoneum caput, anguibus comatum, ſpectantes in ſaxa conuertiſſe. Ego verò dum tetrum hoc morbi genus attentiùs conſidero, capútque illud animo obuerſatur; in quo pili ita impliciti ſunt, vt anguium imaginem oſtentent, dum pilos acu transfixos, ſanguinem emittere audio; dum his præciſis, tam grauia Symptomata video excitari, ſanè attonitus hæreo, & inſtar lapidis obtutu defixus in vno, & immobilis perſiſto, lubénſque, in eorum eo ſententiam, qui inauditum hoc morbi genus, à cauſis ſuprà naturalem ordinẽ excitatum, & à maleficis hominibus, ope Dæmonum inuectum, fuiſſe exiſtimant: neque verò ſine ratione id quibuſdam placuiſſe video. Imprimis enim, præcipua huius Morbi ſedes eſt in pilis, Atqui apud omnes in confeſſo eſt plurima maleficia pilorum miniſterio exerceri, nam vt ea taceam, quæ ſuprà recenſuimus (quorum nonnulla maleficijs, aſſignanda videntur) Dæmones in maleficorum pilis deliteſcere creduntur, vt propterea ſi quis maleficij ſuſpectus habeatur; huic ex Iudicis decreto, pili toto corpore nouacula abradendi: neque enim prius, vel ſæuiſſimis tormentis adduci poſſunt, vt verũ fateantur

quam

quam pilos depoſuerint vniuerſos; quæ quidem conſuetudo, iam à multis ſeculis inualuit, legimus enim Domitianum imperatorem, iuſſiſſe, vt Apollini Thiæneo, in carceribus detento, pili omnes abraderentur, quod eum maleficij ſuſpectum haberet, An vero verſutus ille ſerpens, ita miſerorũ illudit ſpei prouocatque vti credant, virtutem aliquam hiſce in partibus, tanquam in pilis Samſonis, occultam deliteſcere? Quin etiam ipſe malus Dæmon ab Hebræis שעיר hoc eſt piloſus appellatur, vt patet ex *Eſaia 13. 31.*

4. Sed & alia occurrit ratio, cur iſte morbus à maleficis inductus videatur, nempe quod is graſſari cæperit iuxta pontum Euxinum, quem quidem maleficiis infamẽ, iam à multis temporibus fuiſſe, patet vel ex Virgilio in Ecloga. *8* .

Has herbas, atque hæc Ponto, mihi lecta venena
Ipſa dedit Mœris, naſcuntur plurima Ponto.

Addunt etiam alij, illis in locis, verum dei cultum admodum negligi, quo ceſſante quid reliquum eſt, niſi vt homines in omne flagitium ruant præcipites; ſicque iuſto dei iudicio dæmonum Tyrãnidi exponantur. Accedit quod Schenchius de iſto affectu ediſſerẽs Tricas incuborum appellat, quaſi indicarẽ

E

velit non ab alio quam à dæmone huiuſmodi Tricas inductas fuiſſe.

Capvt X.

1 Etiam frequens peſtis, iiſdem in locis, à maleficis excitatur.

2 Tribus de cauſis, Plica in maleficium referenda non videtur.

3 Morbi à maleficio ſuſcitati, ſæpe numero ſponte deſinunt.

4 Iidem morbi, medicamentis etiam poſſunt perſanari.

5 Vtrùm, cor, fel, iecur, illius piſcis quem Tobias exanterauit, naturaliter, & albuginem parentis extirparint, & maleficiũ, ſuſtulerint.

6 Morbi à maleficijs inuecti, certam diſpoſitionem in corpore deſiderant.

ADdit Hercules Saxonia lib. 10. practic. medic. cap. 11. aliud argumẽtum, ad hanc ſententiam confirmandam; quod quia omnem admirationem ſuperat, ipſius verba dabo. *Habebam maximum ad rem hanc confirmandam argumentum, Sed quia mihi omnem ſuperare videbatur credulitatem, illud proferre non audebam, videlicet*

licet in Polonia, atque Germania, non raro peſtem induci à maleficis quibuſdam mulierculis, cum primum defunctæ, & humatæ ſunt; neque illam anteà deſinere, quam inueniatur cadauer, quod vel propria ſpolia, vel alia propinqua, ore mordicus tenet, quaſi eſuriens, eſcam auidè quærat. Hæc, quæ mihi omnem mentis captum ſuperare videbantur, ſcribere non audebam; cum verò, multiplici teſtimonio mihi repetita, ac confirmata ſint, nunc autem potiſsimum à Doctiſsimo Domino Ioan. Vrſino Leopolienſi, cuius authoritatem, vt pote viri fideliſsimi, & ſcientiſsimi, in hoc noſtro opere ſæpius adduximus, qui profitemur multum luminis hac in Tract. ab eo recepiſſe; ideò audacter proferre non dubitaui. Rem itaque D. Vrſinus ipſe propriis oculis intuitus, ſic ſe habere inquit. Anno Domini 1572. peſte per vniuerſam Poloniam graſſante, cum mulier quædam defuncta, ex pago RZeſna dicto, in Suburbanum Leopolienſe aduecta, ad ædem exaltationis S. Crucis ſepulta fuiſſet, & illo die, peſtis maximè circa illud templum deſæuire cœpiſſet, qui ſepeliendorum mortuorum curam habebant, non temere ſuſpicantes, villanam illam aliquot ante diebus ſepultam, maleficam fuiſſe, cadauer ſuum refoderunt, quod cum nudum, & in ore reliquias deuoratarum ſuarum veſtium habens, reperiſſent, caput, vt moris eſt, pala præacuto ferro obducta, abſciderunt, ex quo, cum ſanies atro rubens

effluxiſſet, iterum terra obruerunt, & peſtis ceſſauit. Subiungit Saxonia alias grauiſſimorum virorum authoritates ex quibus ratiocinari ita poſſumus ſi peſtes à maleficis inducantur cur non etiam Plica.

2. His rationibus adductus Saxonia, quamuis in hanc ſententiam videatur propenſus, vt Plicæ cauſa, in maleficium referatur, ſubiungit tamen, hanc ſententiam triplici argumento poſſe labefactari. Prima, quod hic morbus curetur aliquando ſponte ſua. Secũda quod curetur ex vſu carnis Erinaceæ, & aliis medicamẽtis, tertia quia morbus ille eos potiſſimum inuadit, qui in luem veneream (ſic eam malim nominari, quàm vel Italicã, vel Hiſpanicam, vel Gallicam) ſunt propenſi. Maleficium verò, inquit, nullam requirit corporis ſimpathiam morboſam, vt inſinuetur, ſed in omnes indiſcriminatim operatur.

3. Cæterum tres illæ rationes, maleficij ſuſpicionem in hoc morbo non adimunt, ac prima quidem ſuſpicionem magis auget, quàm tollat; nam vt ipſemet initio capitis propoſuit, inter alia ſigna, quæ morbum à maleficio exortum produnt, hoc eſt, quod medici remedia ex arte inuenta, fruſtra adhibeãt, quæ morbos non profligant, aut minuant, imò maio-

maiores,& acerbiores reddunt, qui dum ſuas vires acquiſiuerint, aliquando ex inopinato deſinunt, Et ſanè hoc ipſum indicium plus roboris videtur habere, quàm vllum aliud. Etenim morbi, qui naturali via contrahuntur, ſi vel à plenitudine, vel à cachochimia, ſuſcitentur, non deſinunt niſi prægreſſa aliqua vacuatione critica, per ſudores, vrinas, per ſeceſſum, aut copioſam hemorragiam, aut alio quouis modo facta; hæc autem ſymptomata quæ Plicam comitantur, vitioſorum humorum copiam habent adiunctam, Ergo ſi ſpontè deſinunt, occultum indicant maleficium.

4. Secunda item ratio, parum habet momenti. Plica vſu carnis Erinaceæ, aliiſque remediis perſanatur, Ergo non fit à maleficio: nam & ipſe Saxonia cap. 45. affert remedia tum ad præcautionem tum ad curationem faſcinationis. *Quod igitur inquit pertinet, ad præſeruatoria remedia, contra faſcinationes excogitata, non vereor futuros quoſdam, qui horum plurima ſuperſtitioſa prorſus æſtiment, nulláque vi naturali prædita, quibus aſſentiri minimè poſſum, qui cenſeo contra illa ſaltem veneficia, quæ diabolum diximus, ex vegetantium ſuccis componere, propria quædam inueniri, quæ eorum vim obtun-*

dant, ac confringant, &c. Iam verò Dæmon, nullum maleficium, propria virtute, præſtare poteſt, ſed tantum, per applicationem rerum naturalium, quarum virtutes ipſe callet, tum per longam experientiam; tum per ſciẽtiam, à principio inſitam (neque enim eam, cum gratia amiſit) vnde qui ſagarum hiſtorias deſcribunt, nihil tam frequenter inculcant, quam ipſas neſcio quos pulueres, à dæmone accipere, quibus morbos immittant, aliáque huiuſmodi maleficia excitent. Quod ſi ita eſt, quis non intelligit rerum naturalium actioni, remedia naturalia poſſe opponi, & quod conſequens eſt, morbum à maleficio ſuſcitatum, remedijs naturalibus poſſe propulſari; vnde fit vt permulti nobilioris notæ medici varia remedia naturalia, ad faſcinum auerruncandum conſcripſerint.

5. Sed & in ſacris paginis, maleficium, rerum naturalium applicatione ſublatum, legimus. Etenim cum Angelus Raphael monuiſſet, cor, iecur, & fel, illius piſcis quem Tobias extraxerat, ad medicinam eſſe valdè neceſſaria; interroganti Tobiæ, quos ad vſus eſſent illa neceſſaria; reſpondit Angelus, fel ad Albuginem ex oculis extirpandam, præſentiſſimum eſſe remedium. Particulam vero

ro Iecoris ſuper carbones accēſam, extricare omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, quorum remediorum virtutem, euentus ipſe comprobauit. Quæ quidem an naturaliter contigerint Theologorum eſto iudicium. ſanè id quidem certum eſt, fel quorundam animalium, imò & piſcium peculiariter, ad tollendam albuginem, à medicis vſurpari, quod ipſe Galenus docuit, decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 12. *Porrò quorundam animalium ſingulariter bilis, à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & ſuffuſionum initia digerat, velut piſcis quem vocant Callyonimum, Hyænæ, & Scorpij marini, &c.* Idem ſcribit Plinius lib. 32. cap. 7. *Callyonimi fel cicatrices ſanat, & carnes oculorum ſuperuacuas conſumit.* Et Dioſcorides lib. 2. cap. 70. Quod verò attinet ad extirpationem Dæmonum ſanè id difficillimè poteſt intelligi, cum enim dæmon ſit immaterialis quomodo à materialibus poterit pati. An verò iuſto dei iudicio factum eſt? vt ſuperbi illi Angeli, qui ſe ſupra ſuæ naturæ conditionem geſtiebant attollere, infrà immaterialis ſubſtantiæ conditionem deprimerentur, & rerum corporearum actionibus etiam ſubiicerentur. Denique ipſe communis Eccleſiæ ri-

tus,manifeſtè fidem facit, ad maleficia extirpanda, remedia naturalia iuuare plurimum, nam ad ſacras preces, & ex orciſmos addit etiam ſuffumigia, ex certis herbis, vt dæmonem, ex obſeſſi corpore abigat: quin & Theologorum nonnulli decernunt, noxios humores conuenienti Pharmaco educendos.

Atque ex his etiam, tertia ratio Saxoniæ facilè conuellitur. *Plica eos potiſsimum inuadit, qui in luem veneream propenſi ſunt, Ergo eius cauſa non eſt maleficium, hoc enim nullam requirit corporis ſympathiam morboſam, vt inſinuetur, ſed in omnes indiſcriminatim operatur.* Hæc inquam ratio ex eo facilè conuellitur, quia nullum maleficium à dæmone poteſt inuehi, niſi ope, & miniſterio cauſarum ſecundarum: harum autem actio, vt recipiatur in corpore, præſupponit in eo certam diſpoſitionem, quidquid enim recipitur, (vt inq uiunt philoſophi) per modum recipientis recipitur, Quid ſi ad miſerabile illud ſcortatorum flagellum, luem inquam veneream, huius etiam veneni ſæuitiam, velit addere diuina iuſtitia, permittens eos, qui fæda illa lue contaminati ſunt, huius etiam morbi violentia implicari, vt quos à turpi illa voluptate venturi ſupplicij metus, non reuocat, præſentis pænæ horror deterreat.

reat. Sed forte aliquantulum extra choream ſaltauimus, fæda illius morbi nouitas,ad hoc me impulit. Ad inſtitutum redeo,& pilorum materiam inquiro.

CAPVT XI.

1 Pilos ex exhalatione, intra corpus ſuſcitata fieri ſtatuunt, tum Philoſophi, tũ medici permulti.
2 Non placet hic loquendi modus; tum quod non apertè determinet proximam pilorum materiã; tum quod pilus ſola exhalatione conſtare non poßit.
3 Galenus ſtatuit materiam pilorum eſſe fuliginoſum, terrenum, & craſſum,vaporem.
4 Vaporem illum, pro colorum diuerſitate, ex variis humoribus ſuſcitari, decernit idem Galenus.
5 Examinatur quid ſit fuligo,conciliantur Galeni,& Ariſtotelis, definitiones.

EXplicato ſubiecto in quo pili radicantur, tum ex ordinario naturæ præſcripto, tum in extraordinario, & morboſo ſtatu, proximum eſt,vt materiam diſquiramus, ex qua

ipſi coagmentatur: In qua aſſignanda, tres potiſſimum occurrunt modi loquēdi, primus eſt cōmunis omnium penè, tum Philoſophorum tum medicorum, qui de hac materia, ſic ratiocinantur, ſicuti (inquiunt) in magno mūdo, duplex eſt halitus, alter humidus quē vaporem appellant, ex quo pluuiæ, niues, rores, cæteraque huiuſmodi meteora ſuſcitantur, Alter ſiccus quem exhalationem nuncupāt, qui ventorum, fulgurum, Tonitruum, Coruſcationum, & cæterorum eſt materia: ita in animalis corpore; ex vapore varia catharrorum genera, quæ pluuiæ, niui, rori, maximè ſunt analoga: Ex exhalatione verò: pili, vngues, vngulæ, cornua, & alia huiuſmodi ſuſcitantur, quæ vel ad ornamentum, vel ad armaturam largita eſt animalibus natura.

2. Hic loquēdi modus, quamuis à pleriſque hodiè paſſim vſurpetur; non tamen ei ſatisfacit, qui acuratiùs proximam pilorum materiam diſquirit. Eſto enim, pilorum materia, inſtar fuliginis attenuata, per cutem debeat erumpere, non tamen apparet, ex hac ſententia, vndenam fuligo illa eleuetur, & quæ ſit illius materia, quod potiſſimum inquirimus. Accedit quod pilus ex ſola exhalatione, conſtare non poteſt; ſiquidem cum ex Gale-

ni

ni decreto, pilorum materia, cutis meatibus impacta, horum impreſſionem ſuſcipiat, ſuſceptamque retineat, adeò vt ſi meatus ſit obliquus, pilus ex eo erumpens, tortuoſus, & criſpus fiat, ſequitur materiam pilorum commaſſabilem eſſe debere, Ariſtot. enim in Meteor. commaſſabile id deffinit, quod alterius impreſſionem ſuſcipit, ſuſceptamque retinet, quod autem tale eſt, mediocrem conſiſtentiam, in mollitie, & ſiccitate, deſiderat; Exhalatio autem ſicca eſt admodum, neque poteſt madefacere, ſed potius colorem inducit, vt docet idem Ariſtoteles l. c. Ergo ex ſola exhalatione, non poteſt conſtare pilus. Quin etiam pilus vnctuoſus eſt, cohærens, fiſſilis, aliasque qualitates ſortitur, quæ à ſola exhalatione prouenire nequeunt, ſed humoris conſortium deſiderant. Ergo exhalatio ſola non poterit eſſe pili materia.

3. Gal. 2. de Temp. c. 4. planiùs, & plenius, de pilorum materia, & generationis modo, ediſſerit, ſtatuitque eam neque eſſe halitum, neque humorem purum, ſed aliquid mediũ, quod vtriuſque naturam participet, halitus. enim ob ſuam tenuitatem, cutis ſpiraculis retineri non poteſt, ſed ea facilè præteruolat; purus humor, ob ſuam craſſitiem, vel angu-

ſtos cutis poros ſubire non poteſt; vel iiſdem impactus,eos obſtruit, aut retrocedit; debet igitur pilorum materia eſſe inſtar fuliginoſi, terreni,& craſſi vaporis, ſic enim ratione fuliginis facilè cutem permeabit ratione verò craſſi vaporis,eidem adhærebit, Ad hunc igitur vaporem craſſum,cuti impactum,alius de nouo eiuſdem naturæ accedens, priori ſeſe agglutinat,& huic alius, & alius conſequenter,donec totus meatus ſit plenus, adueniens igitur alia portio, viamq́ue affectans, priores partes extra cutem deturbat, quæ in illa mora quam in meatibus fecerant, in oblongam, & teretem figuram lori inſtar fuerant efformatæ, ergo ſicut in exteriori fuligine, quæ ex pinguibus corporibus eleuatur, poſterior priorem impellit, ſic in continuata illa interiorum fuliginum ſerie, poſterior priorem propulſat; ſicq́ue conſummatur pilorum generatio & accretio.

4. Quod ſi poſtules,ex quonã ſubiecto, fuligo illa eleuetur,reſpondet Galenus, pro pilorum diuerſitate,diuerſam aſſignandam eſſe materiam, fit enim (inquit) niger pilus cum deuſto caloris vapore excremẽtum in exactam fuliginem mutatur, flauus verò, cum vapor minus torretur, quippe quod tum eſt

im-

impactum, flauæ bilis, non nigræ, fæculentum eſt excrementum, Albus vero pilus, ex pituita naſcitur: Rufus, ſicuti coloris flaui, albique eſt medius, Sic eius generatio, ex pituitoſæ, bilioſæque fæcis, media quadam natura prouenit.

5. Atque hoc eſt Galeni, de pilorum materia iudicium, in quo duo potiſſimum examinanda occurrunt, primum quid ſibi velint illa verba (fuliginoſi, craſſi, & terreni vaporis) alterum, vtrum pro colorum diuerſitate, quæ in pilis conſpicitur, diuerſa materia ſit aſſignanda. Quod igitur ad primum ſpectat: Ariſtoteles 4. meteor. cap. 2. ſic fuliginem definit. *Eſt autem fuligo ipſius pinguis exhalatio.* Galenus verò octauo methodi cap. 5. fuliginem ait eſſe vaporem terreſtrem: Sic enim habet. *Cum nec in iis quæ extra ſunt, aliter aut fumum edi, aut fuliginem uideas, quam fumum (vt ita dicam) ex materiis ſemiuſtis, fuliginem verò, ex immodicè aſſis. Eſt namque fuligo, vapor terreſtris, fumus, miſtio quædam, ex terreſtri, & aquea, ſubſtãtia.* Sanè, prima fronte, hæc duæ fuliginis definitiones oppoſitæ, imò & contrariæ apparent, ſiquidem fuligo ex mente Ariſtotelis, eſt pinguis exhalatio, omne autem pingue aërium eſt: ergo fuligo erit exhalatio corpo-

ris

ris aërij. Galenus verò, vocat vaporem terreſtrem: Sed & illud difficultatem auget, quia Ariſtoteles vaporem ab exhalatione diſtinguit, quod hæc, ſit ſicca; ille vero humidus: Ergo fuligo, quæ ex corpore pingui, quod aërium eſt, & conſequenter humidum ſuſcitatur erit humida, ſicque potius ad vaporem, quam ad exhalationem referenda. Atiſtoteles autem, fuliginem inter ſpecies exhalationis recenſet. Cæterùm hæc omnia facilè conciliari poſſunt ſi dicamus in pingui corpore è quo tum ſecũdum Ariſtotelis, tum ſecundum Galeni mentem, fuligo ſuſcitatur duo eſſe conſideranda: portionem ſcilicet aëriam, quæ multa eſt, & copioſa, in pingui corpore: & portionem terreſtrem quæ pauca admodum eſt, reſpectu prioris; Ex quo fit, vt dum caloris miniſterio, corpus pingue in halitum conuertitur: in hoc ipſo halitu, tum vapor tum exhalatio contineantur: nam ex portione humida, & aëria, vapor; ex portione terreſtri, exhalatio eleuatur, hæc enim terrena portio, cum pauca admodùm ſit, virtute caloris qui facilè à pingui corpore ſuſcipitur attenuatur, & in halitum conuertitur, & fuligo nuncupatur. Cum igitur Ariſtoteles; fuliginem deffinit ipſius pinguis exhalationem, ſigni-

ſignificat eam nihil aliud eſſe, quam terrenã illam portionem, pingui corpore incluſam, quæ vi caloris attenuata eſt, quod quidem nihil eſt aliud dicere, quam fuliginem, eſſe vaporem, aut potius exhalationem, terreſtrem, ſicut deffinit Galenus. Ergo, vt ad rem accedamus, cum Galenus ſtatuit pilorum materiam eſſe fuliginoſam, & terream; nihil aliud vult quam pilos conſtare ſolida, firma, & terreſtri materia; quæ tamen vi caloris attenuata ſit, & quaſi in halitum cõuerſa. Quoniam autem pilus qui flexibilis eſt, cohærens, ductilis, commaſſabilis, ſola exhalatione, admodũ ſicca, cõſtare non poteſt, ideo addit Galenus pilorum materiam debere eſſe inſtar fuliginoſi terreni, & craſſi vaporis, Atque his verbis bene expreſſit Galenus præcipuas conditiones quas pilorum materia deſiderat quænam autem illa ſit deinceps inquirendum.

***

Ca

CAPVT XII.

1 Duobus modis intelligitur illa quæſtio, an pro colorum diuerſitate diuerſa ſit aßignanda maturia pilorum.

2 Neque pituita albi, neque melancholia nigri, neque bilis, flaui pili, poteſt eſſe totalis materia.

3 Declaratur id ſpeciatim de pituita.

4 Demonſtratur idem de humore melancholico.

5 Idem denique oſtenditur de humore bilioſo.

QVod vero ad aliud attinet, An pro colorum diuerſitate, diuerſa ſit aſſignanda materia in pilis, id duobus modis poteſt intelligi: primo vtrum humor ille, cuius colorem pilus dicitur retinere, ſit totalis materia ipſius pili, verbi gratia, vtrum albus pilus, ex ſola pituita: niger ex ſolo atræ bilis recremento, conſtet? & ſic de de alijs. 2 Intelligitur quæſtio, an pilus, colorem dũtaxat, ex his humoribus mutuetur: ita tamen, vt aliam habeat materiam, ex qua

coagmentetur. Ergo ſi hoc poſteriori modo, intelligat Galenus, pro colorum diuerſitate, diuerſam eſſe aſſignandam pilorum materiã, non erit reiicienda ex toto hæc ſententia; vt clarius exponemus, cum pilorũ colores examinabimus. Si autem quæſtio, primo modo intelligatur, vt plerique Galeni mentem ita videntur interpretari.

1. Dico, abſurdum eſſe, exiſtimare pituitam eſſe totalem materiam pili albi; melancholiam aduſtam nigri, &c. probatur variis rationibus. Prima quia radix pili eſt ſemper alba ſtipes niger, aut ſubflauus, aut alterius coloris: & cuſpis etiam, ſæpe numero diſtinctum habet colorem, ab ea parte, quæ radici proxima eſt: ergo radix ex vno humore; cuſpis ex alio, & quod inter vtrumque ſitum eſt, alio etiam humore cõſtabit, quod ſanè abſurdum eſt. Secundo frequens docuit experientia, in pilis ſubitaneas contingere colorum mutationes. Refert Suetonius in Galba cap, 10. cum Galba in Hiſpaniam Tarraconenſem ingreſſus, ſacrificaret intra ædem publicam, accidiſſe, vt puero è miniſtris acerram tenẽti, capillus repentè toto capite caneſceret. Similem euẽtum commemorat Scaliger Exer. 312. *Hiſtoria* (inquit) *eſt noſtræ tempeſtatis ſub*

Franciſco Gonzaga Mantuæ Principe. Is affinem ſuum, ſuſpectum coniurationis, cum in turri portæ Cæſareæ, ad quæſtionē, aut ſupplicium ſeruari iuſſiſſet; nunciatum eſt manè, totum repentè canum factum; quod quaſi prodigium, flexit principis animū. Similes euentus commemorant Leuinus Lemnius, Conciliator, aliíque permulti: ex quibus tale argumentum poteſt colligi; non poteſt melancholica fuligo quæ aduſta eſt, & ſicciſſima derepentè in humorem pituitoſum; frigidum, & humidum, commigrare: Ergo colorum mutatio in pilis, non arguit humorum mutationem. Quin etiam, quamuis admitteremus, ſubitaneam illam mutationem humorum in corpore; cum tamen pili, ex Galeni decreto, à ſola radice capiant incrementum, & huic tantùm ſe alēs humor agglutinet: fieri non poterit colorum mutatio niſi in ſola radice: aut in ea parte, quæ radici proxima eſt: Atqui hæc mutatio à cuſpide inchoatur vt docet Conciliator differentia 54.

3. Iam verò, pilum ex ſola pituita conſtare non poſſe, id declarat, quod pili lixiuio abluti, & ſoli expoſiti, vel aqua forti imbuti, aut vapore ſulfuris ſuffumigati, ex nigris fiunt albi, aut ſaltem plurimum de nigredine deponunt,

nunt,

nunt: & contra, aqua frigida abluti, diutius nigri permanent; Atqui nemo dixerit, à lixiuio, ſole, aqua forti, vapore ſulfuris, pituitam induci, neque ab aqua frigida aduſtam fieri fulginem, Ergo pilus albus, non fit à pituita. Secundo probatur quia pituita indurata, non poteſt eas qualitates ſortiri quas in pilis deprehendimus, illa enim friabilis eſt, vt patet in lapide renum, aut veſicæ, at verò pilus, trahibilis, flexibilis, & ducibilis eſt, ita vt ex iis confectos aliquando fuiſſe funes prodãt hiſtorici. Refert Lactantius, capta à Gallis Roma, cum Capitolium obſidione arctiùs premeretur, iámque penè ad extrema ventum eſſet: ex mulierum capillis cõfectos fuiſſe funes, quibus tormenta bellica alligarentur, in cuius rei memoriam Veneris caluæ ſimulachrum excitarunt. Simile narrat Plutarc. de mulieribus Charthaginenſium, qui multò conſultiùs, quam Romani, vt huiuſce rei memoriam, in poſteros tranſmitterent armatam Venerem effinxerunt. Similiter Iulius Capitolinus ſcribit Aquileienſes, neruorum inopia, funes ex mulierum capillis, vibrandis ſagittis confeciſſe; quin & trahendis nauibus factos ex pilis funes commemorat Pauſanias. Quæ omnia libenter profero,

quia apertè fidem faciunt, pilos ex aliqua alia firmiore, & ſolidiore, materia; quam ex pituita confici, quæ nuſquam huiuſmodi qualitates obtinere poteſt. Tertio in canicie quæ per ſenectutem contingit, non tantum accidit colorum mutatio; ſed ipſi etiam pili, ob Atrophiam, & alimenti deffectum, attenuantur, & contabeſcunt. At qui certum eſt in ſenibus non defficere pituitam. Denique id apertis verbis declarat Auerro. lib. 5. de Gener. Anima. cap. 6. *Neque* (inquit) *verum dicit, qui putat phlegma eſſe cauſam caniciei, quia phlegma, eſt nutrimentum primum, & capillus, nutritur ex nutrimento vltimo; nutritur autem phlegmate, poſtquam fuerit tranſmutatum magna tranſmutatione: quare non poſſumus dicere, hunc eſſe colorem phlegmatis.*

4. Sed neque ex aduſta fulgine, pilum nigrum fieri, apertè demonſtrat Ariſtoteles, lib. de coloribus cap. 6 *Sed enim* (inquit) *nonnulli ſuſpicantur, nigra omnia fieri, ea cauſa, quod eorum alimētum, à calido aduratur, ſicuti ſanguinem, & aliorum vnum quodque, qua in re falluntur: quædam enim Animalia, protinus & ab ipſis vſque incunabulis, nigra naſcuntur; ſicut canes, capellæ, Boues, & in vniuerſum omnia, quorum pili, & coria, à primis vſque initiis, alimentum habent: procenden-*

te autem ætate minus nigrum colorem defendunt, quod non ſic decebat ſiquidem omnium tales eſſe pilos, in ipſo ætatis vigore par fuit, tunc cum in ipſis etiam, plurimum calor viget, atque ita omnia, prius à principio, caneſcere; multò enim imbecillior ab initio omnium calor, quàm eo tempore, quo eorum pili incipiunt albeſcere. Ex his Ariſtotelis verbis ſic poſſumus ratiocinari: Si pilus niger fieret ab aduſta fuligine, tunc deceret nigriorem eſſe pilum, cum calor intentior eſt, At qui ab ipſo ortu, cum calor remiſſior eſt, pilus eſt aliquando nigrior, quàm ætate procedente, Ergo pilus niger, non fit ex aduſta fuligine. Sed de his plura cum de coloribus pilorum agemus.

5. Neque ex ſola bile etiam, coagmentari poſſe pilum oſtenditur, quia pilus, maxima ſui parte, terreus eſt, vt poſtea demonſtrabimus, bilis ignea, neque poteſt hæc conuenientem humiditatem largiri; quæ pilo flexibili, vnctuoſo, trahibili, neceſſaria eſt. Et ſane exiſtimo nunquam Galeno veniſſe in mentem, pilos ex ſolo humore bilioſo, pituitoſo, aut melancholico, coagmentari: cum 14. method. cap. 18. ſcribat, eos ex limoſo ſucco initium ducere, quod ſub cute eſt. *Oſtenſum eſt* (inquit) *quod ex ſuccis qui per cutim tranſpirant quod li-*

moſum eſt id pilos tum à principio gignit tum de cætero velut ſucreſcendo auget, hoc igitur quoties vel prorſus periit, vel redditum eſt vitioſum toties piloſ corrumpi eſt neceſſe. Atqui limoſus ille humor cuti ſubiacens vix vllum habet cum bile aliiſque humoribus commercium, Ergo ex his non conflabitur pilus ſecundum mentem Galeni.

CAPVT XIII.

1 Non ſatis expreſſit Ariſtoteles, excremento ne vtili, an inutili, conſtent pili.

2 In pilorum materia duo diſtinguenda vnum ex quo pilus intrinſecè conſtat alterum id quod priori adiunctum colorem imprimit aliquãdo.

3 Tria ſunt excrementorum genera, pro triplici coctione quàm ſubire debet alimẽtum antequam in corporis ſubſtantiam conuertatur.

SVperioribus rationibus ſatis mihi confeciſſe videor, pilos neque ex pituita, neque ex bile, neque ex melancholia, coagmentatos eſſe; ſequitur vt Ari-

Ariſtotelis ſententiam hac de re audiamus. Is igitur,ſecundo de gene. Animali. cap.6. pilos ex materia excrementitia fieri decernit: verùm,cum excrementorum, aliud ſit vtile, aliud inutile, non expreſſit Ariſtoteles an vtili,an inutili excremento,pilos coagmentari velit: Eius verba ſubiicio. *Perinde*, (inquit) *natura atque pater familias prudens, nihil amittere ſolet ex quo facere aliquid commodi poſsit: Diſpenſatur autem in cura rei familiaris ita vt cibus optimus detur liberis, deterior ſeruis, viliſsimus ſociis Animalibus: vt igitur incremento addito mens aduena facit hæc; ſic in ortu ipſo natura carnem cæterorum ſenſoriorum corpora conficit: in excrementis oſſa neruos pilos vngues vngulas, & reliqua huiuſmodi conſtituit.* Et nonnullis interiectis duplex ſtatuit excrementum alterum ſeminale ex quo neruos, & oſſa fieri decernit alterum ex cibo aduẽtitio, & vctiuo quod à fœmina acquirit ex quo vult fieri vngues pilos cornua roſtra auium,calcaria, & alia huiuſmodi quæ vel ad ornamentum, vel ad propugnaculum largita eſt animalibus natura. Atque rem ita ſe habere ex eo declarat, quia oſſa habent certum ſuæ accretionis terminum; pili vero, & eorum cognata omnia; quamdiu inſunt, tamdiu augentur: & magis cum corpora aut

ægrotant, aut ſeneſcunt,decreſcúntve.

1. His verbis, innuere videtur Ariſtoteles, pilos ex inutili excremento coagmentatos eſſe,nam per morbos, & ſenectutem, vitioſi potius congeruntur ſucci, quam fiat euchimorum plenitudo. Id ipſum quoque inſinuat quinto de Generatione animalium cap. 3. aſſerens Echinos marinos,qui in præalto,& frigidiori mare, degunt, ideo prolixiores aculeos effundere,quia cum parum caloris obtineant,multum excrementi producunt, *Aculei autem* (inquit) *& pili, & reliqua generis eiuſdem, excremento naſcuntur*, Excrementum autem quod deffectu caloris generatur, videtur potius eſſe inutile,quam vtilie. Cæterũ ex multis aliis locis Ariſtotelis, colligere poſſumus pilorum materiam, non eſſe inutile, & reiectaneum excremẽtum,ſed potius vtile, & ſola quantitate ſuperfluum, nam eodem in loco ſic habet. *Cauſa craßitudinis,& tenuitatis pili, cutis potißimum eſt, aliis enim craſſa aliis tenuis, aliis rara, aliis denſa eſt; Tum differentia humoris inditi conſors cauſæ eſt,aliis enim pinguis, aliis aquoſa eſt*: poſtea vero ſubiungit, *ſi vapor aquoſus ineſt breui reſicceſcens facit ne pili capiant magnitudinem, ſi pinguis eſt contra euenit: non enim facile poteſt exſiccari quod pingue eſt*, Idem iiſdem

ver-

verbis repetit. *Quin etiam vt pili breuiores, longioréſue ſint, cauſa eſt quod humor qui euaporatur, non facilè exſiccari poteſt: cuſa vero ne facilè exſiccetur duplex eſt Quantitate, & Qualitate, nam ſi humor aut multus aut pinguis eſt, non facilè exſiccari poteſt*, vides ergo vt Ariſtoteles, pilos ſaltem prolixiores, & craſſiores, ex pingui conſtare materia decernat, nemo autem vſquam dixit, humorem pituitoſum, bilioſum, aut melancholicum, pinguem eſſe: ergo conſtant excremento vtili, iuxta mentem Ariſtotelis quod etiam clariùs declarat ſect. 10. probl. 22. vbi aſſerit vellus proprio carnis nutriri alimento vellus autem, vt ipſe aſſerit eſt multitudo pilorum.

2. Quoniam igitur neque ex Gal. neque ex Ariſtotele ſatis perſpicuè conſtat quænam ſit pilorum materia ea nobis alia via inueſtiganda: Ergo vt clariùs aperiam quid in propoſita difficultate rationi magis conſentaneum occurrat, id velim primo loco aduerti in pilorum materia duo eſſe diſtinguenda, alterum eſt id è quo pilus intrinſecè, & eſſentialiter, coagmentatur, quod ſi placet materiam pili integrantem appellabimus. Alterum vero eſt quod cum priori coniunctum; vario colore pilum imbuit, quod ornatus materiam

nuncupabimus. Atque hæc duo inter ſe diſtingui patet ex ſuperioribus cum enim vnus & idem pilus,ſubeat varias,ac multiplices,coloris mutationes,ac tandem quocumque colore ſit imbutus, per ætatem in album vergat, imò & nonnunquam derepente totus caneſcat:ſanè ſicut Phyſici,ex variis mutationibus corporum naturalium,colligunt ſubeſſe communem quandam materiam, quæ varias illas mutationes excipiat: ita ex variis colorum mutationibus in vno & eodem pilo, colligo vnam ſubeſſe pilo materiam, illas colorum mutationes ſubſtinentem, de poſteriori materia diſſerendum erit cum pilorum colores inueſtigabimus, de priori, hoc loco inquirendum;quem quoniam Ariſtoteles, & cum eo pleríque tum medici, tum Philoſophi, decernunt eſſe excrementum; neque ſatis apertè indicant, quod & qualenam excrementum intelligant.

3. Propterea id etiam præmonendum eſt triplex eſſe excrementum,pro triplici coctione,quam ſubire debet alimentum,antequam in corporis ſubſtantiam faceſſat; vnaquæque enim coctio, vt ſuum habet vtilem ſuccum, ſic & ſua habet recremēta,ac primæ quidem coctionis vtilis ſuccus, Chylus appellatur,cuius

ius recrementa ſunt,craſſiores illæ fæces,quę per aluum deturbantur. Secundæ coctionis vtilis ſuccus, eſt ſanguis, aut potiùs maſſa ſanguinea quæ non ſyncerum duntaxat illum ſanguinem, ſed omnem ſuccum alendo corpori idoneum complectitur. Huius coctionis excrementa ſunt, vrina, quam Renes ad ſe prolectant, humor melancholicus, qui à Liene rapitur,flaua bilis,quæ in propriam cyſtydem reconditur. Tertiæ coctionis denique, opus vtile eſt humorum id genus quos ſecundarios appellant. Huius autem excrementa, in hoc à reliquis differunt, quod primæ & ſecundæ coctionis excrementa,omnia inutilia ſint, nullámque cum alendo corpore familiaritatem obtineant: cum enim ſecunda coctio primam, & ſecundam: tertia excipiat:vtile opus primæ,eſt materia circa quam ſecunda operatur, & & huius opus vtile, eſt materia tertiæ: quoniam vero tertia coctio poſtrema eſt omnium, id omne quod ea perfecta,& abſoluta,relinquitur, excrementum nuncupatur. Vnde patet huius coctionis excrementa partim eſſe vtilia, patim inutilia, vtile excrementum id dicitur, quod familiaritatem habet cum alendo corpore, tamen vel quia pars imbecilliorem calorem nacta

eſt;

eſt; vel quia plus ad ipſam affluxit alimenti, quam pro ſua cõditione deſideret, ideo quod à partibus relinquitur tanquam redundans, excrementum vtile appellatur: inutile vero excrementum id dicitur quod nullam cum alendo corpore familiaritatem obtinet, ac propterea tanquam naturæ oneroſum, & inſenſum foras detruditur, vel per ſudorem, vel per inſenſilem tranſpirationem, vel alio quouis modo.

CAPVT XIV.

1 Vt in Affrica, ſic in cute, ſemper aliquid noui producitur, quod in hac omnis generis excrementa aggregentur.
2 Quorundam animalium cutaneorum hiſtoriæ ac primo de Nigua.
3 De pediculis alatis.
4 De Dracunculis.
5 An Pherecides Syrus ſerpentum, an pediculorum copia è corpore erũpente obierit, videri eandem eſſe materiam animalium cuteanorum, & pilorum.

ATque hæc excrementa tertiæ coctionis, ſiue vtilia ſint ſiue inutilia, ſiue craſſa, ſiue tenuia: ſiue partium ſoli-

ſolidarum, ſiue carnoſarum, vnum & commune receptaculum habent, nempe ipſam cutem, quam propterea monuimus Emunctorium vniuerſale appellari, quod omnium partium excrementa excipiat. Ex quo fit, vt ſicut Affrica ſemper aliquid noui ferre perhibetur, eo quod ob dulcium aquarum inopiam, dum feræ ſe ad paucos amnes aggregant, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei mutuo coniunguntur, atque ex tali coniunctione, inſolita quædam animalis ſpecies exſurgit: ita dum varia illa variarum partium excrementa, in cutem tanquam communem corporis ſentinam deponuntur, ex varia ipſorum permiſtione, varia miſta ſuſcitantur: tum inanimata, vt ſtrigmenta cutis, fædæ ſcabies, verrucæ, maculæ, Exanthemata, & alia huiuſmodi, tum animata vt ſyrones, pediculi, ricini, Nigua, Pediculi alati, Dracunculi, vermes intercutanei Pediculi dorſales, Quæ poſtrema animalia, quoniam his in locis non ita cognita ſunt, ideo ne quidquam curioſo lectori denegem eorum deſcriptionem ſubnectam.

2. De Nigua agit Cardan. lib. 9. de ſubti. *India* (inquit) *Occidentalis mittit è pulicum genere Niguam, peſtem quandam atrocem, minus eſt multò, pulice hoc animal, quod hærens homini adeò lancinat,*

cinat,dum nec videri poteſt, nec præhendi, vt pedes quibuſdam, aliis etiam manus excidant. Scaliger Exer. 194. huic narrationi addidit ea quæ deſiderãtur: *Niguæ* (inquit) *narratio tuo mutila eſt,non inutiliter ſi philologiam ſpectes, addemus ea quæ abs te omiſſa ſunt, Pulicellus eſt roſtro acutiſſimo,pedes potiſſimum inuadit, raro partes alias,non ingredientium tantum,ſed cubantium quoque, ideo in ſublimi cubant Indi,frequentiſſimè partem eam quæ ſubeſt vnguibus lancinant: Quarta die creſcere tumor incipit, tum ad eam turgent magnitudinem, vt piſum ſuperet. Tumor fætus eſt lendinibus candidis, quibus extractis calidos imponunt cineres*, huius quoque mentionem facit Turneus in hiſtoria ſtirpium qui non oculatus duntaxat fuit teſtis, ſed etiam eorum fædam vexationem in ſe expertus eſt.

3. De pediculis alatis agit Hieronymus Mercurialis. *Hiſtoriam* (inquit) *ab Agatarchide relatam,quoniam medicos adiuturam, ac delectaturam ſpero, eam latino ſermone compoſitam his ſubiungam. A prædictis (maris rubri incolis) non multum differunt locuſtarum eſores, gens quidem ſtaturæ aliis breuioris,aſpectu macilens,ac ſupra modum nigra: ſub AEquinoctium vernum, quando apud nos Aphrici & Zephiri ſpirant, ex loco quodam incognito,ineffabilis magnarum locuſtarum multitudo,vna*

cum

cum ipſis ventis, ad illos prouehitur, quæ ab auibus, volandi facultate parum, at corpore longè differunt, Ab hoc animalium genere, toto tempore nutriuntur ijs ſalitis, atque alio modo paratis veſcentes, venantur autem ipſas fumo ex aëre in terram deijcientes. Atque hi agilitate quidem, & pedum velocitate, pollere dicuntur, ſed cum valde ſiccum nutrimentum capiant, vltra quadrageſimum annum minimè vitam producunt, imò vita miſeriorem ſanè mortem obeunt; ſiquidem appropinquante ſenectute, eorum corporibus alata quædam pediculorum genera innaſcuntur, figura quidem caninis muſcis ſimilium, ſed alioquin minorum, incipiunt à pectore, ac ventre, breuíque vniuerſam faciei cutem depaſcuntur, atque horum alij, primùm ſcabioſorum inſtar afficiuntur, deinde ſe ipſos grauiter dilacerant, tandémque morbo conſiſtente, nec nõ cum beſtiolorum exortu, tenuibus effuſis humoribus, intollerabiles cruciatus ſubire miſeri coguntur, ſícque, vel ob ſuccos, vel ob alimentum, vel ob aëris prauitatem pereunt.

4. De Dracunculis agit Thomas à vega in 6. de loc. affectis. *Dracunculi* (inquit) *nomine tenus Galeno noti Poſterioribus innotuerunt. Paulo Dracuntium dicitur, & Dracunculus: Arabibus vena à ſimilitudine, medena ab vrbe Medena, in qua id genus morbi frequens viſitur. Eſt enim in Ægypto frequens, & India, naſcitur ſub cute (non quod*

quod Galenus coniectat (intra venam) vermis ſatis longus (Albucaſis decem, & non raro viginti palmarum longitudinem excedere expertus eſt) ſubrubérque qui motu ſuo cutem erodens, & inflammãs dolorom excitat, neque ſanatur niſi integer eximatur: abruptus enim accerrimos mouet dolores: qui vero negant eſſe animatum, ſed humoris vi ſerperet negligentiùs rem expendere, Eſt enim vermis non ſecùs quàm Syrones noſtri, non minùs Dracontiis antiquitati incogniti. Dracontiorum meminerunt Plutar. 8. Symp. prob. 9. Amat. Luſita. Aetius Tetrab.4.Serm.2.cap.85. Ægineta lib. 4. cap. 5. Alſaharauius pract. cap. 12. tract.18. Auice. cap.12. Tract.1. fen.3. lib.4. Canon.

5. Narrat etiam Plinius Pherecidem Syrum Pythagoræ præceptorem expiraſſe maxima ſerpentum copia ex ipſius corpore erumpente: quod idem ſcripſit Apuleius 2. florido. Sunt qui putent Plinium ſerpentum nomine pediculos intellexiſſe vt Mercur. libr. 5. variar.c. 6. quod tamen parum veriſimile apparet, tum quod Plinius 2. cap. 33. ſcribat Alcmanem Poetam, & Syllam dictatorem pediculis obijſſe: tum quod aliæ beſtiolæ intra cutem poſſunt generari quæ ſerpentibus valde affines videntur. Narrat Saxon. cap. 1. de Plica Anno 1540. In Pannonia natas paſſim in humanis

humanis corporibus viperas,& Lacertas,quæ, mille hominum in dies poſt cruciatus acerbiſſimos, interficerent; nulla medicorum arte, vel induſtria ſuccurrente. Accedit etiam quod aſſerant nonnulli pilos muliebres fimo incluſos in ſerpentes conuerti:quod ſi ita eſt; Si pilus extra corpus, per putrefactionem formam ſerpentis acquirit, eiuſdem materia in corpore putreſcens eandem formam poterit aſſumere: eadem enim videtur eſſe materia & pilorum, & animalium cutaneorum: quod ex eo poteſt demonſtrari quia cutis eorum animalium,quæ à lupis demorſa ſunt, & vniuerſa depilatur, & copioſos pediculos effundit,cuius euentus non alia occurrit ratio, quam quod venenata Lupi aura in pellem effuſa,materia pilos ſubſtinens corrumpatur, vnde fit vt pili defluant, & ex eadem materia corrupta, fit ingens pediculorum prouentus. Ex his facilè eſt colligere quid cauſæ ſit cur pelles Animalium ferro ingulatorum firmiores ſint, & ſolidiores pellibus eorum animalium quæ à Lupis demorſa interiere quod voluit exprimere Homerus ἱμὰς βοὸς ἶφι καταμένοιο id eſt lorum bouis vi occiſi.Sed & eorundem Animalium carnes tanquam ſuauiſſimæ expetebātur vt patet ex Horat. in Epo-

dis. *Vel Agna feſtis cæſa terminalibus,*
Vel hædus ereptus Lupo.

Et Marti. lib. 10.

Paruus Onyx vna ponetur cænula menſa
Hædus inhumani raptus ab ore Lupi.

CAPVT XV.

1 In pilorum compoſitione, terrea portio debet prævalere.

2 Portio illa terrea, debet multò humido pingui perfundi, quod oſtenditur authoritatibus, ex Ariſtotele petitis.

3 Idem demonſtratur varijs rationibus.

4 Quomodo caput, cum in totum adipe careat copioſos effundat pilos.

5 Non abſque naturæ prouidentia factum eſt vt caput vniuerſum adipe careret.

HIs premiſſis aliquot concluſiones ſubiiciemus, quibus pilorum materiam explicabimus.

Prima concluſio. Ad pilorum productionem debet concurrere plurima portio terrenæ ſubſtantiæ. Hæc concluſio eſt Galeni qui vt ſupra monuimus ſtatuit pilorum materiam eſſe fuliginoſam; fuligo au-

tem ab eodem Galen. definitur vapor terreſtris. Probatur etiam eadem concluſio ex Ariſtotele qui 5. de Generat. Animal. cap. 3. ſcribit duas eſſe cauſas criſpitudinis pilorum, quarum prima eſt, calida exhalatio, pili ſubſtantiam perreptans, nam partes terreſtres pili (inquit Ariſtot.) deprimuntur; exhalatio verò calida ſurſum fertur; vnde pilus partim ſurſum attollitur partim deorſum deprimitur, ob ſuam flexibilitatem, & tenuitatem. Altera criſpitudinis cauſa eſt cum in pilo parum humoris, portionis autem terreæ plurimum ineſt. Similiter eodem in loco ſcribit ex cute rariore, & craſſiore; craſſiores pilos erumpere, propter copiam portionis terreæ, ex laxis meatibus exhalantem. Accedit denique ratio manifeſta, ſiquidẽ oſſa ob inſignem ſiccitatem quam habent, terrena materia conſtare dicuntur, Pilus autem oſſe multò ſiccior eſt; quod vel experimento Auicennæ manifeſtè conuincitur, qui ſcribit ſe multò plus humoris ex oſſibus, quam ex pilis per diſtilationem elicuiſſe.

2. Secunda concluſio Terrea illa portio debet multo humido, eoque pingui eſſe perfuſa. Probatur quia pilus commaſſabilis eſt, cohærens, trahibilis, vnctuoſus, aliáſque quali-

tates obtinet, quæ humoris conſortium cum terrea portione deſiderant, quod autem humor ille ſit pinguis, patet ex Ariſtotelis locis ſuperius citatis. Et ex 5. de Generat. Animal. cap. 3. vbi aſſerit caluicium ſeu depilationem humanam reſpondere arborum defrondationi, volucrum depennationi, piſcium deſquammationi, exuuiæ ſerpentum; quorum omnium cauſam docet eſſe defectum humidi pinguis, alentis, & ſuſtinentis dictas partes, quod eo argumento oſtendit, quia plantæ reſinoſæ, & oleoſæ vt Pinus, Picea, cupreſſus, oliuæ, laurus, malus medica, &c. in quibus multum humidi pinguis & oleoſi ineſt, nunquam defrondeſcunt, ſed perpetuo frondis honore virent. Similiter, cum aues quotannis ſuas plumas deponant, & piloſa Animalia, pilos habeant ſingulis annis deciduos, vnicum hominem ideo pilos habere fixos, & permanentes ſtatuit, quod is maximè abundet humido pingui, & ſubſtantifico, cuius humoris abundantiam, duobus potiſſimum indicijs colligimus, nempe ex abundantia ſanguinis, & ſeminis; nullum enim eſt Animal quod iuxta corporis proportionem, tãtum habeat ſanguinis, quantum homo: ſeminis vero copia in homine ex eo deprehenditur, quod

cum

cum cætera animalia certis tantum, & ſtatis temporibus in mutuos amplexus ruant, vnicus homo nullum habet à natura huic functioni obeũdæ præfinitum tempus. Aſſertionem quoque noſtram confirmat Auerroes in eum locum, & cap. 5. *Cutis* (inquit) *in ſumma, eſt apta ſua Quantitate & Qualitate generare pilos, intelligo per Qualitatem pinguedinem, & humiditatem*; Et Collect. I. cap. de Iuuamen. pilor. *Pilus*, (inquit) *eſt corpus extenſibile ſiccum, & talis eſt ſuperfluitas cibi ſicci, quando nimis coquitur durante in illo pinguedinis admiſtione.*

3. Secundo probatur concluſio variis rationibus, prima Caluicium in ſenibus ex ariditate, & defectu humidi contingit vt plurimum, atqui certũ eſt, ſenes multò humido aqueo, & inutili abundare, Ergo pili aliquo alio humore, pingui ſcilicet, & aërio ſuſtinentur.

Secunda pilus igni admotus flammam ſtatim concipit, At quod tale eſt, pingui humido conſtare debet, non autem aqueo, hoc enim potiùs flammam extinguit quam cõcipiat ſicuti patet in ligno viridi, quod prius flammã non admittit, quàm humiditatem aqueã depoſuerit: quinetiam ea ligna, quę ex vmbroſis locis defferuntur, tardè admodum flammam concipiunt, multumq́ue fumum edunt, quod

parum habeant humidi pinguis, & plurimum humidi aquei, crudi, & incocti, ob defectum caloris cœleſtis.

Tertia cum pili capitis, & barbæ caneſcãt, palpebrarum pili, aut nunquam, aut tardè admodum caneſcunt, ideò quia oculi multo, & copioſo adipe veſtiuntur, à quo pili oculis circumpoſiti fouentur, & nutriuntur.

4. Obiicies ſi humidum illud quo pili ſuſtinentur, ſit pingue ſanè neceſſe erit, vt in ea parte in qua pili ſunt copioſiſſimi, & craſſiſſimi, copioſus ſubiiciatur adeps, ad ipſorum nutritionem: Tales autem pili in capite reperiuntur; cum tamen neque in pericraneo, neque in membranis cerebrum inueſtientibus; neque in ipſo cerebro quidquam inſit adipis, quod Ariſtoteles ea ratione demonſtrat, quia cerebrum dum aſſatur nihil pingue deponit. Ergo humor ille qui ad capillorum productionem, & nutrimentum concurrit, erit potius aqueus, & pituitoſus qui multus eſt in capite, quam pinguis cuius neminima portio in toto cerebro conſpicitur. Reſpondeo hoc argumentum quamuis prima fronte concluſionem noſtram euertere videatur, ſi quis tamen diligentiùs attendat, eo maximè illã confirmari & ſtabiliri intelliget.

get. Dico enim in cerebro, neq; in toto capite, quidquã eſſe adipis, eo quod materia ex qua conficitur adeps tota abeat in nutritionem, & ſuſtentationẽ pilorũ. Neque alia occurrit ratio melior, cur cerebrum in totum adipe careat, cum tamen cõſtet, neque materiam, neque cauſam efficientem adipis, in cerebro deſiderari ſiquidem cauſa materialis adipis ex communi Medicorum & Philoſophorum decreto, eſt aeria sãguinis portio, bene cocta & elaborata; at quis ignorat copioſas, eáſque peramplas venas, vniuerſam cerebri molem irrigare, & vero cum cerebrum eminentiſſimo totius corporis loco inſideat, neceſſe eſt vt magis tenuis sãguinis portio ad illud deferatur. Efficiens vero cauſa adipis, eſt frigus, aut potius calor remiſſior membranarũ, ad quas allabens ſuperior illa ſanguinis portio concreſcit in adipem: at quis in cerebri mẽbranis remiſſiorem illum calorem requirat? Ergo priuatur cerebrum adipe, eo quod pili copioſiſſimi capiti implantati, materiam quæ in adipem conuertenda erat ſugant & proliciunt in ſuam ipſorum nutritionem. Sic ſcribit Ariſtoteles animalia obeſa, ſteriliora eſſe, eo quod materia illa ex qua genitale ſemen erat conficiendum in adipem abſuma-

tur. Sic in aquatilium genere, quæ ſimplici cute, & molli teguntur, nihil habentia extra corticis, intrò ſunt magis craſſa, & terrena, vt Congri, & Lampetræ; quæ verò ſquammis teguntur carne ſunt molliore, & humidiore, eo quod terreum ſeceſſit in extima, quæ vero teſta aut cruſta teguntur, vt locuſtæ, Teſtudines, oſtrea, carne ſunt humidiſſima, & laxante: quod ſcilicet, cruſta ſuperpoſita portionem terream ebibat vniuerſam, ſic & carnes oſſibus viciniores molliores & delicatiores ſunt, eo quod terrea portio à ſuppoſito oſſe alliciatur, ſic & nũcleus mali perſici inſigni eſt amarore, caro vero ipſi circumpoſita ſuauiſſima eſt.

5. Neque verò ſine inſigni naturæ prouidẽtia factum eſt, vt cerebrum, & membranæ ipſum inueſtientes, ex toto adipe carerent, Caput enim ſupremo corporis loco ſitum, ex inferioribus partibus eleuatos humorum halitus excipit, quibus decuit liberum patere exitum, ne in cerebro detenti ſpiritus inquinarent, ac propterea adipe priuari debuit, ne is ſuo lentore illius meatus, & ſpiramenta infarciret, & occluderet, docent enim Anatomici, Omentũ multò adipe in farctum, Sthomaco, & inteſtinis ſuperpoſitum fuiſſe, vt ſuo

lentore,

lentore, caloris effluxum prohiberet, ipſumque vniendo Coctionem fæliciùs promoueret. Quin etiam ſicut in magno mundo, ſolis incendium, humido Lunæ tepore mitigatur, ita & cordis æſtus, benigno cerebri humore debuit tẽperari, ac propterea id maximè cauit natura, ne aut adipe, aut copioſa carne veſtiretur caput, ne ab iis operimentis incaleſcens, calorem cordis intendat potius quã remittat.

CAPVT XVI.

1 Materiæ pilorum, & ſeminis Sympathia.
2 Abundante ſemine, luxuriant; eodem deffi- ciente, defficiunt pili.
3 Pili poſtgeniti tùm erumpunt, cùm corpus ſemine turget.
4 Pilorum & cornuum eadem eſt materia.
5 Hirſuties in homine magnanimitatis indicium, fortes autem ſemine abundant.
6 Cur tempore belli neque edenda, neque ſerenda mentha, Cur item piloſi ſint Luxurioſi.

TErtia concluſio. Materia pilorum eſt ſemini maximè analoga, & proportionata. Probatur primò experien-

 tia

tia quæ docet vitium ſeminali materiæ impactum facilè pilis communicari: ſicut enim neruoſæ parti affectæ, alia neruoſa condolet, ob ſympathiam, & temperamenti communitatem, ita accidit vt in lue venerea vitium ſemini inuſtum, materiæ pilorum communicetur, ex quo fit vt iis qui fæda illa lue correpti ſunt, pili ſint decidui. Quin etiam Plica eos potiſſimum inuadit qui in eandem luem propenſi ſunt, aut qui ex parentibus hac lue infectis orti ſunt.

2. Demonſtratur concluſio ex eo quod abundante ſeminali materia, pili etiam abundant & diffunduntur, eademq́; deficiente, & ipſi contabeſcunt, ac defluunt, ſiquidem teſte Galeno, Hippocrate, Ariſtotele: pueri, enuchi, mulieres, Caluicie non laborant, illi quia nihil ſeminis effundunt, hæ quod minus, quam viri emittant, quin imò nonnullæ mulieres intermiſſo veneris ſtudio, barbatæ, & toto corpore hirſutæ euaſerunt, quod Phætuſæ Pythei coniugi, & Namyſiæ, contigiſſe refert Hippoc. Et Ariſtoteles 5. de genera. animal. cap. 4. ſcribit, mulieres ſacerdotes in Caria barbam emittere, quod ſcilicet ſeminalis materia in corpore retenta, & in habitum diffuſa in pilos conuertatur. Quin etiam

in

in animalibus ex hirſutie ſeminis abundantiã colligit, 4.de gener. animal.cap. 5. vbi de Lepore, eiúſque fæcunditate agit. *Semine etiam abundat* (inquit) *quod eius hirſutie ſignificatur, copia enim pili exſuperat, nam hoc vnum animal pilos & ſub pedibus habet, & intra genas, pili autem abundantia & hirſuties copiam indicat excremēti, quam ob rem homines piloſi libidinoſiores & ſeminis copioſiores ſunt, quam læues.* Contra autem qui rebus venereis nimis addicti sũt cito caluefcunt, quod materia fouendis pilis neceſſaria effundatur, imò docet Ariſtoteles Caluicium nuſquam contingere ante venereorum vſum: vnde Caluicies in Cæſare tanquam profuſioris libidinis indicium fuit notata, vt patet ex Sueto.& Dion. *Caius Iulius Cæſar Caluicij deformitatē iniquiſsimè ferre ſolebat: obtrectatorum iocis obnoxiam ſæpe expertus, ideoq́; & deficientem capillum reuocare à vertice aſſueuerat, & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoq́; honoribus, non aliud, aut recepit, aut vſurpauit libentius, quam ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ: milites certè in Gallico triumpho iocabundi vociferabantur vxores veſtras ſeruate ciues vobis mæchum adducimus Caluum.*

3. Pilorum alij ſunt congeniti, alij poſtgeniti. Congeniti ita appellantur, quod ab ipſo ortu

ortu inſiti ſint Capitis ſcilicet, ſuperciliorum, ciliorum, hos è ſeminali materia fieri poſtea oſtẽdemus, iam vero poſtgenitos Barbæ ſcilicet, axillarum, & qui obſcænas partes integunt ex ſeminali materia ſuſcitari, id fidẽ facit, quod eo tantum tempore enaſcantur, quo vniuerſum corpus ſemine turget, & pruritu libidinis concutitur, vnde & virilitatis etiam ſunt indices, neque enuchis erumpunt. Ad hunc locum facit quod ſcribit Ariſtoteles 3. de gene. animal. cap. 2. *Libidinoſis*, inquit, *pili, congeniti maturiùs defluunt, poſtgeniti maturius ſe promunt*. cuius euentus hæc ratio videtur aſſignanda, quod pili poſtgeniti, tum oriantur, cum corpus ſemine abundat, cum igitur luxurioſi maximam habeant ſeminis copiam, his, pili poſtgeniti cito ſe produnt, quoniam vero in effuſiori libidine materia fouendis pilis neceſſaria ſubtrahitur, ideo congeniti maturius decidunt.

4. Sic argumentor, Eadem eſt materia pilorum, & cornuum: hæc autem conſtant materia ſeminali, ergo & illi. Maior nõ ſemel ab Ariſtotele inculcatur ac inter cętera Proble. 91. ſec. 10. vbi Quærit cur hominum caput piloſius quàm reliquum corpus, nec ex proportione piloſum eſt, cæterorum autem contra.

tra. *An cætera* (inquit) *vel in dentes exuperant, præ nimia alimenti copia, vel in cornua, vel etiam in ſetam, quæ igitur in cornua, capite minus ſetoſo hæc ſunt abſumptum enim illam in rem eſt, quæ autem in dentes plus quidem pili quam cornigera obtinēt, capronatum enim nonnihil ſortiuntur, ſed minus.* Et probatur eadem maior ex maxima ſimilitudine quæ eſt inter pilos, & cornua eaque potiſſimum quæ Ceruorum capiti ſunt implantata, vt enim pili è cute oriuntur, ſic & cornua ab eadem ſumunt initium: *Adhærent* (inquit Ariſtoteles 3. de hiſtor. anim. cap. 9.) *cornua cuti potiùs quam oſſi, vnde fit vt in Phrygia, & alibi boues ſint, qui cornua perinde vt auriculas moueant.* Pili brutorum à cute colorem aſſumunt, alborum enim animalium, alba eſt cutis, nigrorum nigra, variorum permiſtorúmque varia, idem in cornibus contingere docet eodem loco Ariſtot. *Etenim cutis nigræ* (inquit) *cornua nigra, & vngulæ nigræ oriuntur, & candidæ pari modo in colore reſpondent, & cornua, & vngues, & vngulæ, mediis etiam medium eadem colorem proferunt.* Cornua in Ceruis ſingulis annis ſunt decidua, ſunt & pili ſingulis annis decidui. Ceruis exectis non decidunt cornua: neque pili Enuchis decidunt. Siqui Cerui execti ſunt antequam cornua emiſerint

rint ea deinceps non erumpunt, ſimiliter ne que Enuchis pili poſt geniti promere ſe ſe de nouo poſſunt. Adde plurimas qualitates his cõmunes, vtrumque enim ſolidum eſt, fiſſile, ductile, &c. Ex quibus collige eandem eſſe vtriuſque materiam. Iam vero cornua ſeminali materia conſtare, ex eo probatur, quia cornigera nullos habent dentes in ſuperiore maxilla, quod dentium materia in cornuum generationem transferatur, vt docet Ariſtoteles tertio de partibus Animal. cap. 2. *Quamobrem* (inquit) *cornigerorum nullum vtrinque dentatum eſt ſupernè enim primores dentes non habent, quippe cum natura hinc adimendo addiderit cornibus, & alimentum quod in eos dentes digerendum, in cornuum incrementum abſumitur* Atqui nemo dubitat dentes ex ſeminali materia conſtare. Adde ad minoris confirmationem quod Ceruis exectis, cornua decidua non ſint, alij vero quotannis ea deponunt, quod dum generationi incumbunt materiam ſubtrahant, alẽdis cornibus neceſſariam. Plinius, rationem illam quam ex Ariſtotele attulimus cornigera ſcilet dentes in ſuperiori maxilla non emittere quod eorum materia in cornua transferatur, refellit quia Ceruæ quę Cornua non emittunt nullos etiam habent

den

dentes in ſuperiori maxilla. Addere etiam potuiſſet Camelos quibus neque ſuperiores dentes neque cornua oriuntur, ſed de Camelis rationem reddit Ariſtot. 3.de part.Animal. cap. 13. *Et Camelus quidem* (inquit) *quanquam cornibus caret, ideò non ſuperne dentata eſt, quod ei magis neceſſarinm eſt, ventrem talem habere (qualem ſcilicet habent cornigera) quam dentes priores, cum itaque ventrem ſimilem non vtrinque dentatis habeat, dentes etiam ſimili modo ſortitur, vt pote parum neceſſarios; quin etiam cum cibus durus ſpinoſúſque ſit, & tamen linguam eſſe carnoſam neceſſe ſit, natura dentium portione terrea ad palati callum atque duritiem abuſa eſt.* Hæc eadem ratio in cerua locum habere poteſt: ad quam addere etiam poſſumus materiam illam ad Cornuum generationem neceſſariã in fætus nutritionem transferri.

5. Denique confirmatur noſtra aſſertio, quia hirſuties, & craſſiorum pilorum abundantia, ſunt indicia magnanimitatis & roboris.

Hiſpida barba quidem, & duræ per corpora ſetæ,
Promittunt atrocem animum.

Tales autem ſemine abundare prætterquam quod ipſa ſatis demonſtrat experientia, confirmatur etiam quia ex veteri militiæ decre-

to tempore belli, neque edenda, neque ſe-renda erat mentha, quod ea ſuo calore in-tenſiore ſemen diſſipans ignauos, & imbelles milites redderet. Quin etiam in Tauris, & equis, ſeminis copia vires conciliari, præclarè declarauit poetarum princeps, arcanorum naturæ peritiſſimus.

Sed non vlla magis vires induſtria firmat.
Quam venerem, & cæci ſtimulos auertere amoris;
Siue Bouum, ſiue eſt cui gratior vſus equorum:
Atque ideo Tauros procul, atque in ſola relegant
Paſcua, poſt montem oppoſitum, & trans flumina lata:
Aut intus clauſos, ſatura ad præſepia ducunt.
Carpit enim vires paulatim, vritq́ videndo Fœmina.

6. Et quoniã in illius prouerbij mentionem incidimus, *Mentham belli tempore neque edito, neque ſerito*; non iniucundum erit paucula de illo ſubnectere. Ergo Ariſtoteles probl. 2. ſect. 20. cauſam inquirit cur id cõmuni prouerbio vſurpetur. Reſpondetque cauſam eſſe quia Mentha refrigerare poteſt corpora, vt conſtat ex corruptione ſeminis genitalis, id autem ipſum aduerſum omnino eſt ad fortitudinem, atque animoſitatem quamuis genere ſit idem. Mercur. lib. 4. variar. lectio

cap.

cap. 8. exiſtimat mendum in Ariſtotelis contextum irrepſiſſe, neque καταψύχει, ſed potiùs κατατήκει legendum, quia Mentha non refrigerat, ſed potius colliquat ſemen, in cuius rei confirmationem adducit locum ex Hippoc. 2. de diæta qui ſic habet Mentha calefacit vrinam concitat vomitus comprimit; ſiq́ue ea ſæpe numero quis veſcatur illius ſemen ab ipſa, ita liquatur vt fluat: ad hæc tentiginem arcet, imbecillumq́ue corpus facit. Simili prope ratione Plinius lib. 20. cap. 14. Mẽtham ſemen humanum deprauare atque generationi ineptum reddere tradit, quod ſicuti illa immiſta lacti, quo minus coeat concreſcátve prohibet, ita ſemen condenſari ab homine in cibo ſumpta non ſinit. Cæterùm hãc ego Doctiſſimi viri lectionem non improbo. Addo tamen veterem quoque lectionem retineri poſſe, cum etiam Ariſtoteles vinum quod calidũ eſt corpus refrigerare non ſemel doceat in problem. Itaque mentha corpus refrigerat non per ſe, ſed per accidens ſicut enim Rhabarbarum dicitur refrigerare corpus, quia calidum, & febrilem humorem è corpore educit, ita & mentha dum ſemen fluidum reddit, & colliquat corpus refrigerare dicitur. Et hanc eſſe Ariſtotelis mentem

videtur colligi ex ſequentibus. *Id autem* (inquit) *ipſum aduerſum omnino eſt ad fortitudinem atque animoſitatem quamuis genere ſit idem*, hoc eſt quamuis ſuo calore animoſitatem potiùs, & robur conciliare poſſet mentha: dum tamen cauſat huiuſmodi materiæ efluxum, generoſitati potiùs obeſt. Ad hunc quoque locum ſpectat probl. 32. ſect. 4. Cur aues, & piloſi homines libidine vehementer aguntur; Reſpondet Ariſtoteles fortè cauſam eſſe quia multum humoris continent; ſed hanc rationem tanquam parum validam reiicit hac ratione quia fœmina, quæ humida eſt pilis vacat, ſanè hæc reſpoſio Ariſtotelis eſſet extra rem, niſi præſupponeret eandem eſſe materiam, & pilorum, & ſeminis, quod manifeſtum euadet ex accuratiori lectione eiuſdem problematis.

† †
†

CAPVT XVII.

1 Videtur admodũ veriſimile pilos congenitos ex ſemine paterno conflari, quod nati parentibus ſimiles habeant pilos tum in hominibus tum in Brutis.

2 Pili poſt geniti fiunt ex vtili excremento partium ſolidarum tertiæ coctionis.

3 Demonſtratur etiam ex Galeno, & Ariſtotele pilos vtili excremento conſtare.

QVarta concluſio. Probabile admodum eſt pilos congenitos ex ipſo ſemine paterno eſſe conflatos. Hæc concluſio eſt contra Ariſtotelem, qui vt ſupra retulimus 2. de gener animal. ſcribit pilos fieri ex cibo aduentitio & auctiuo quod à fœmina acquiritur. Probatur autem primo, quia liberi patribus ſimiles habent plerumque pilos: ſi enim Æthiops in regione tẽperata liberos ſuſcipiat ex muliere illius regionis, ſoboles quæ cætera ſimilis matri orietur criſpos capillos

patri ſimiles effundet. Secundo ſi duo animalia diuerſæ ſpeciei ſimul coeant; quamuis fætus ex tali copula ſuſcitatus ſpeciei ſimilitudinem à matre deſumat; pilis tamen patrē referet: vt ex Oue & Hirco Ouis gignitur, pilis duris & longis conſita: ex capra & ariete, capra fit, mollioribus pilis, eademque proportio ſeruabitur ſi canis & vulpes ſimul iungantur. In Geoponicis quoque Græcis in fine lib. 16. ſic ſcriptum legimus *Natus ex ſue & Camelo fæmina, Camelus duplici gibbo eſt; verum quemadmodum in Equis & Aſinis plurimas notas patris fert mulus; ſic Camelus ortus ex ſemine ſuis tanquam indicium virtutis, robur, pilorumq́ denſitatem, contrahit.* Simile quid narrat Colum. *Cum in municipium* (inquit) *Ga ditanum ex vicino Affricæ miri coloris Sylueſtres ac feri Arietes ſicut aliæ beſtiæ munerarÿs deportarentur: patruus meus quoſdam mercatus in agros tranſtulit, & & manſuefactos tectis quibus admiſit: Eæ primum hirtos, ſed paterni coloris agnos ediderunt: qui deinde & ipſi Tarentinis quibus impoſiti, tenuioris velleris Arietes progenerauerunt: ex his rurſus quidquid conceptum eſt maternam mollitiem, paternum & auitum retulit colorem.* Atque hæc argumento ſunt paternum ſemen procreandis pilis materiam ſuppeditare, quod hac ratione

contin

contingere exiſtimo. Semen multo ſpiritu tum vitali, tum animali turget, ſpiritus autem, cum ſit admodum tenuis & ſubtilis, firmo, & ſolido pariete contineri debet; ne effluat, ſicut videmus neruos & Arterias firmiorem ſubſtantiam habere quam venas, itaque ex terrena, & magis ſicca portione craſſioris illius ſubſtantiæ, pilos fieri, admodũ vero ſimile eſt. Denique probatur concluſio quia pili, vt poſtea demonſtrabimus, ſunt partes viuentes, ergo ex ſeminali materia debent conſtare.

2. Quinta concluſio. Materia pilorum poſtgenitorum eſt vtile excrementum, partium ſolidarum, tertiæ coctionis: Hæc concluſio facilè ex ſuperioribus demonſtratur, cùm enim pilorum materia debeat eſſe firma & ſolida, vi caloris attenuata, multo humido pingui diluta, & ſemini maximè Analoga; ſanè hæ omnes conditiones non poſſunt alteri quàm huic quam aſſignamus materiæ competere: nam quatenus eſt excrementum partium ſolidarum, eſt firma & ſolida, quatenus eſt ſuperfluum tertiæ coctionis, maximè attenuata eſt: nam in triplici illa coctione quam ſubſtinuit bene fuit elaborata, & quaſi in halitum conuerſa, quatenus eſt vtile ex-

crementum; debet humido pingui & ſubſtantifico prolui;& quatenus his omnibus dotatur conditionibus ſemini Analoga eſt. Atque hoc excrementum ad cutem demandari, iam non ſemel diximus; vocatur autem hoc excrementũ ab Hippocrate, libello de Carnibus Glutinoſum, pili inquit, fiunt ex glutinoſo in capite exiſtente. Galenus 14. Meth. cap.18.Limoſum appellat.*Oſtenſum eſt*(inquit) *quod ex ſuccis qui per cutim tranſpirant, quod Limoſum eſt id pilos, tum à principio gignit; tum de cætero veluti ſuccreſcendo auget.* Ariſtoteles humorem glutinoſum,& tenacem nuncupat,& muccoſum lentorem. *Habet*,inquit, 3.de hiſt. animal. cap. 11. *Genus quodque pilorum ad ſuam radicem lentum quendam humorem quo protinus vbi euulſum eſt. Si qua leuiuſcula tangat adhæret vt ea trahere poßit tenacius.*

3. Atque de hac quinta concluſione non eſt magna controuerſia, niſi fortè in eo quod diximus materiam pili eſſe vtile excremẽtum, cum ex quibuſdam locis Ariſtotelis & Galeni contrarium videatur poſſe, colligi.cæterũ ex iiſdem authoribus probatur, eadem pars concluſionis. Galenus enim 1. de compoſit. Pharmac.ſecund.locos,ad Alopecias ea Topica commendat; quæ & vitioſum humorem

emen

emendare,& optimum ſanguinem ad cutem poſſunt attrahere. *Itaque ſi ſupra hæc*, inquit, *quod vitiatos humores diſcutiat etiam idoneum ſit ad bonum ſanguinem attrahendũ velut eſt Thapſia, optimum ſane pharmacum eſt cenſendum* : quin etiam eodem in loco narrat Adoleſcentem quendã bonæ habitudinis,& exercitiis aſſuetum, ex vſu fungorũ in Alopeciam incidiſſe, qui ſolo vſu ciborum boni ſucci, ſanitati fuit reſtitutus, ac propterea ſequentibus capitibus ad Curationem Alopeciæ maximè commendat vſum ciborum Euchimorum: & in defluuio capillorum perſanando eam intentionem habendam eſſe ſcribit vt vniuerſalis, habitus capitis corroboretur & boni ſucci prouentus procuretur, eas quoque Alopecias immedicabiles eſſe decernit in qui bus cutis aſperiore panno perfricta, non rubeſcit; quod ſcilicet indicium ſit non poſſe allici ad cutem bonum ſuccum. Quod verò ad Ariſtotelem ſpectat præter ea loca quæ ſuperius attulimus, is manifeſte ſententiam noſtram comprobare videtur 3. de Hiſtor. Animal. cap. 10. aſſerens pilos pro alimentorum diuerſitate immutari,quæ enim, inquit, molliores habent pilos, per vſum pabuli melioris, duriores incipiunt gerere & contra

quæ cibis parum nutrientibus veſcuntur, tenuiores, & ſubtiliores effundunt pilos, quod egregie in Lana obſeruauit Virgilius.

Si tibi Lanicium curæ eſt primum aſpera Sylua,
Lappæq; Tribuliq; abſint, fuge pabula læta

Idem quoque oſtendit Ariſtoteles ſect. 10. prob. 21. & 22. illo quidem, ſues hybernum pilum non amittere oſtendit, quia eorum cutis calida eſt, & copioſo adipe abundat, recteque ſuum alimentum concoquit; ſequenti vero problemate rationem inquirit, cur ouibus expilatis mollior pilus ſuccreſcat, hominibus durior: Reſpondetque cauſam eſſe, quia ouium pili non profundas agunt radices intra cutem, ſed ex eius ſuperficie emergunt, ita vt abſque violentia extrahi poſſint, neque vlla cicatrix inde oriatur, ſed potius meatus fiant patentiores, è quibus ipſum carnis alimentum & ſuccus prouenit vberiùs. In homine vero pili altius infixi, abſque violentia eximi non poſſunt; atque ideo oritur cicatrix in meatu pili auulſi, quæ conuenientis alimenti effluxum prohibet, quo defraudatus pilus durior euadit, cuius rei argumentum affert, quia qui calidas regiones incolunt, duriores gerunt pilos, quia calor intenſior Aëris radicem pili attingens exſiccat ipſius alimentum,

mentum, contra autem eorum qui ſub Aquilone degunt molles laſciuique funduntur pili quod his ſanguis dulciſque ſapor per ſummam potius fluitat formam.

CAPVT XVIII.

1 Quomodo pili vtili excremento conſtare poſſint, cum tamen fuligines & corporis excremẽta ebibere dicantur.

2 Quomodo pthiſicis cũ cæteræ partes contabeſcãt ſoli pili magis luxurient.

3 Quare Enuchis barbæ erumpere nõ poteſt, quid poſſit rectitudo partium variis exemplis demonſtratur.

SVpereſt ad pleniorem ſententiæ noſtræ confirmationem vt contrarias obiectiones diluamus. Erit ergo qui obiiciat primo. Auerroes Collect. 1. c. de Iuuamen. pil. aſſerit magna naturæ prouidentia, pilos vniuerſo corpori fuiſſe implantatos: ſicut enim Agricolæ triticeam ſegetem cicla & lupinis circundant, vt vitioſum & amarum ſuccum exhaurientes, dulcius

& magis defæcatum alimentum ſegeti ſubminiſtretur;ita natura pilos vniuerſo corpori circumpoſuit, vt illi fuliginem & aduſtos in corpore humores exhaurientes, puriorem ſanguinem cæteris partibus relinquerent: ſicut & allia iuxta roſas implantata, ſuauiorem ipſis conciliant odorem, dum aduſtam portionem, è terreſtri ſucco prolectantes, temperatiorem roſis relinqunt. Quin & Rhaſius & Auicennas experientia docti teſtantur frequentem capitis tonſuram maximè conferre viſui, quod pili humorum fuliginem ebibant, & abſorbeant. Ergo videntur potius conſtare inutili aliquo ſucco, & reiectaneo quam vtili, aut materia ſeminali quæ puriſſima eſt, & naturæ maximè familiaris. Reſp. pilorum & ſeminis materiam, in hoc differre, quod hæc ſit omnino pura, & ab impurorum humorum halitu & contagio ſegregata, propriumque habet receptaculum in quo recondatur, multoque ſpiritu & calore perfundatur; at verò pilorum materia, quoniam in cutem transfunditur ad quam ſingularum partium inutilia recrementa tanquam ad commune emunctorium relegantur, ideo non poteſt illa non inquinari horum contagio. Admittimus igitur aduſtam fuliginem recre-

menti

mentorumque halitus vna cum materia pilorum extra corpus amandari, vnde & oculis & vniuerſo capiti benefacit frequens illorum tonſura, quia natura ſatagens reſtaurare id quod per tonſuram fuit deperditum, copioſiorem materiam ad eorum productionem, aut potius accretionem foras amandat. Quin etiam vtilia excrementa, ſua quantitate corpori infenſa eſſe poſſunt, quam pili dum abſorbent, veluti onere corpus releuatur.

2. Secundo obiicies Pthiſicis quibus vniuerſum corpus exhauritur, omneſque partes contabeſcunt, ſoli pili & vngues in immenſum luxuriant, ſe ſeque diffundunt, ergo non nutriuntur, neque generantur ex ſeminali materia. Conſequentia probatur quia ſeminalis materia fit ex abundantia ſanguinis, eiuſque optimi & perfectè elaborati: atqui certum eſt in hecticis naturales facultates admodum debiles eſſe defficiente natiuo catiuo calore, qui paulatim in ipſis extinguitur, ac propterea ne quidem ipſis partibus præcipuis alendis, ſatis ſanguinis poſſunt conficere, ergo nihil in ſeminalem materiam poterit reponi. Itaque potius ex recrementis aduſtis quæ maximè abundant in hecticis, pili incrementum ſuſcipient, quam ex ſeminali materia,

ria,quæ vel nulla, vel pauca eſt admodum in ipſis. Reſpondeo in hecticis dum reliquum corpus contabeſcit, ideò pilos luxuriare quia febrile incendium in ſolidis partibus deliteſcens earum craſſamentum attenuat & in halitum digerit, ſimiliter, & humidũ earumdem partium colliquat, vnde fit vt multo vberius alimentum pilis ſuppetat, qui cum ſicciſſimi ſint non afficiuntur ab illa ſiccitate quam febris hectica, cæteris partibus inuehit. imo cum ea ſit illorum naturæ conueniens potius ab ea recreantur, & conſeruantur quam malè afficiantur, vnumquodque enim à ſimili conſeruatur. Quin etiam cum cæteræ partes corporis, ob innati caloris debilitatẽ appulſum alimentum perfecte elaborare, & in propriam ſubſtantiam conuertere non poſſint; pili qui facultatibus naturalibus plurimum valent,hoc alimentum atrahunt,& in propriam ſubſtantiam conuertunt,valent autem pili facultatibus naturalibus,tum ob eam quam dixi cauſam, tum quod ſolis virtutibus naturalibus ſunt inſtructi,quas propterea decuit eſſe validiores,quia ab aliis non interturbantur; atque hoc reſponſum colligitur ex Ariſtotele qui 2. de gener. Anim. cap. 6. ſic ſcribit *pili & eorum cognata omnia, quandiu inſunt,*

ſunt,tandiu augentur, & magis cum corpora aut ægrotant,aut ſeneſcunt, atque decreſcunt; quoniam plus excrementi tantiſper remanet cum minus in partes præci puas conſumatur: propter ſenium aut morbum;nam vbi quoq; id ob ætatem deffecerit, pili quoq; deffiiunt: ac propterea defluuium capillorum Ethicis ſuperueniens,mortem prænunciat. *Quibuſcunque Tabe laborantibus*,inquit Hippocrat. Aphor. 12. ſect. 5. *capilli à capite defluunt ij alui profluuio ſuperueniente moriuntur.* Cuius euentus cauſam aſſignat Galen. in Comment. quia huiuſmodi capillorum defluuium,indicat humidum ſubſtantificũ partium,à febrili calore fuiſſe exhauſtum.

3. Obiicies Enuchi qui nullum ſemen effundunt ſeminali materia maximè abundant, barbam tamen emittere non poſſunt, Ergo ſignum eſt pilos ex ſeminali materia non cõſtare; ea enim abundante & ipſi abundare deberent. Reſpondeo ad productionem pili non requiri tantum materiæ diſpoſitionem, & abundantiam, ſed præterea neceſſe eſſe vt meatus per quos pilus erumpere debet, ſint aperti & patentes; neceſſaria quoque eſt vis caloris, quæ talem materiam in meatus detrudat, eamq́ue attenuet & quaſi in halitum digerat,itaque Enuchi barbam non

emit

emittunt, non quidem ob deffectum materiæ, cum propter eius abundantiam ipſos nõ Caluеſcere ſcribat Ariſtoteles; ſed propter nimiam cutis molliciem: ſiquidem docente Galen. cutis puerorum, mulierum, & Enuchorum, eſt eiuſdem naturæ, & temperamenti. Secundo barbam non emittunt Enuchi, ob caloris deffectum quem teſtes in vniuerſum corpus reflectunt, potiſſimũ verò in mentum, cui ex directo ſubiacent. Rectitudinem autem illam quæ eſt inter partes plurimum poſſe iam ſupra demonſtratum eſt, cum hominis caput ideo piloſius eſſe cæteris ſcripſimus, quod in ſolo homine, Cor è directò, cerebro reſpondeat. Sed & alia experimenta manifeſtè conuincunt quantum poſſit partium rectitudo, tum ad communicandos affectus, tum ad eoſdem perſanandos; primo Vteri pars dextra multò calidior eſt ſiniſtra, vt propterea mares in ipſa generari docuerit Galenus, caloris autem intenſioris cauſa eſt, quod hæc pars directè hepati reſpondeat, atque ob eandem cauſam, partes dextrę vt plurimum multo ſunt calidiores, maiores, & robuſtiores, ſiniſtris. Similiter ſi caput ex vtero dolet, vertice dolet, ſi ex ventriculo, frons; ſi ex iecore, dextrum latus, ex liene ſiniſtrum.

Ex

Ex renibus Occiput, Brachia, Crura, partes enim quę ſibi è directo reſpondent, tum ſalutares, tum morbificos influxus ſibi adinuicem communicant, ac propterea rectitudinem partium obſeruandam docent practici cum humor ab affecta parte deriuandus eſt, ſi enim imflammato hepate ex dextra nare ſanguis erumpat, ſanatur, ſi ex ſiniſtra non iuuatur; cum tamen vna eademque vena ad naſi radices pertingat. Si cubitus ſiniſter ſecatur, vacuatur ſiniſter cordis vētriculus, lien inflammatus, Pleura ſiniſtra: ſi dexter, dextræ partes iuuantur. Accedit etiam maxima vaſorum communitas quæ eſt inter mentum & Teſtes: quæ vel ex eo demonſtratur quod vt docet Hippocrates, Scythæ qui venas poſt aures preſcindendas curabant, ſteriles euadebant, quod ſcilicet (vt multi interpretantur) obducta cicatrix materiæ ad generationem neceſſariæ deſcendenti, aditum intercluderet, aut potius quia vt articulorum doloribus mederentur quibus ob frequentem equitationem maximè vexabantur, maximam ſanguinis copiam ex his venis emittebant; itaut corpus valde refrigeraretur ac potiſſimum eæ partes quæ generationi deſtinatæ ſunt cum illæ his è directo reſpondeant.

CAPVT XIX.

1 Variæ ſententiæ medicorum & Philoſophorum circa formam pilorum.
2 Duobus modis in cognitionem animæ deuenimus primo ex diſpoſitione corporis animati, 2. ex operationibus quas animatum exercet.
3 Duplex eſt accretio vna propria altera impropria, & quomodo vtraque differat.

VT generationis, ita doctrinæ ordine; materiam forma ſubſequetur: in huius diſquiſitione eadem via qua ſupra inſiſtemus. Ergo Galenus cap. 7. Artis paruæ quatuor partium differentias aſſignat: prima eſt earum quæ facultates habent non ſibi ſolis, ſed vniuerſo corpori, ſicut enim in Repub. bene conſtituta Principes, & Senatores, non tantum priuatæ Oeconomiæ; ſed publici quoque boni curam ſuſcipiunt, ita in corpore Cerebrum, Cor, Iecur, vniuerſo corpori ſuos ſalutares influxus, tum ad

nutritionem,tum ad vitam, tum ad ſenſum, & motum;vniuſcuiuſque partis,irradiant.Secunda partium differentia earum eſt, quæ ſunt veluti ductus & canales, per quos principes illæ partes ſanguinem & ſpiritus, per totum corpus diſtribuunt. tertia eſt earum quæ neque aliis præſunt, neque ab aliis gubernantur, quarta denique earum eſt, quæ tum à natura inſitas habent facultates; tum à principibus influentes excipiunt. Addit poſtea Galenus capillorum,& vnguium,nullum eſſe regimen, hoc eſt capillos nec habere vllas à natura inſitas facultates,nec vllas à principibus partibus influentes excipere, ex quo ſequitur pilos eſſe mera corporis recremẽta: quanquam Galenus horum immemor 2. de Anatom. Admin. cap vltimo vngues non ſolùm naturalibus facultatibus,ſed & vitalibus, & animalibus inſtructos eſſe affirmet, ſicut & reliqua membra corporis & 11. de vſu partiũ cap. 14. aſſerit pilos aliquot ex cauſarum fortuito concurſu enaſci, alios verò ex creatoris prouidentia ſuſcitari. Ariſtoteles quoque omnes animæ facultates pilis adimere videtur, cum eos per iuxta poſitionem duntaxat creſcere ſtatuit, *pili*, inquit 3. de Hiſtor. Anim. cap. 11. *præciſi ab inciſura non augentur ſed inferius*

à radice exeunt atque ita euadunt longiores Huic ſententiæ ſubſcribunt permulti, tum Medici, tum Philoſophi, Fernelius lib. 2 Phyſiolo.c.2. Thomas Garbius Tract. 4. q. 53. Achillinus 2. de Element. q. 1. art. 5. Fracaſt. in ſuo lib. de Anima; Peramatus lib. de hominis procre. cap. 8. Valeſius in Contro. alijque complures. Contrariam ſententiam amplexati ſunt non pauciores neque inferioris notæ Medici & Philoſophi. Varrò apud D. Auguſtinum 7. de Ciuit. cap. 23. lib. de Muſic. cap. 5. lib. de vera relig. cap. 55. & lib. ad Oroſium cap. 8. Aſſerit pilos reuera viuere, quem ſequuti ſunt alij permulti qui tamen in duas claſſes diſtincti ſunt; prior eorum eſt qui opinati ſunt pilos animatos eſſe anima totius, quam ſententiam tuentur D. Thomas in 4. diſt. 44. Quæ 1. art. 2. Iauell. lib. 2. de Anim. quæſt. 20. Viguer de Inſtitut. cap. 21. At verò D. Bonauent. in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. Durandus ibid. quæſt. 1. Alijque permulti pilos Animatos eſſe ſtatuunt, non tamen Anima totius ſed propria & peculiari, adeò vt ſicut plantæ terræ infixæ non retinent formam terræ, ſed vnaquæque ſuam habet propriam; ita pili corpori implantati, non retinent formam totius, ſed vnuſquiſque propriam habet.

Conci

Conciliator denique exiſtimat pilos palpebrarum eſſe Animatos eò quòd habeant certum accretionis terminum ſintq́; ab ipſo ortu congeniti, neque præter vſum ciliis implantati, reliquos verò inanimatos eſſe ſtatuit.

2. Vt aperiam quid in hac ſententiarum diuerſitate magis rationi conſentaneum apparet nonnulla fundamenta ſunt præmittenda. Aduerte igitur cum nihil ſit in intellectu quod prius nō fuerit, in ſenſu, ipſa autem Anima ſenſus noſtros effugiat, duas nobis ſupereſſe vias quibus ipſam latentem ſubodorari poſſumus, quarum altera eſt ex diſpoſitione ipſius corporis Animati, ſiquidem Anima nullas poteſt exerere functiones (vegetatiuas intelligo & ſenſitiuas) abſque partium corporis miniſterio, nam vt inquit Ariſtoteles in libris de Anima ſicut artifex inſtrumentis ita Anima organis corporeis vtitur, ergo ſicut pictor imaginem non poteſt effingere ſine penicillo: ita neque Anima vllam functionem exerit ſine corpore, & rurſus ſicut in penicillo certus apparatus, certáque figura exercendo operi accommodata reſpondere debet: ita & in partibus corporis Animati, ea figuræ concinnitas deſideratur quæ ad functiones Animaſticas neceſſaria eſt, vn-

de fit vt inanimata poſſint eſſe cum ſua forma tota, & integra, ſub qualibet figura verbi gratia lapis poteſt eſſe cum figura circulari, quadrata oblonga, & aliis huiuſmodi, at verò forma viuentis non poteſt ſub qualibet figura conſiſtere, verbi gratia bos non poteſt eſſe cum figura ſcamni, vel cathedræ, ac propterea Anima deffinitur Actus corporis organici, qua in deffinitione id velim obſeruari, nomine corporis Organici non eſſe audiendum corpus illud quod ex variis partibus & ſubſtantiis diuerſæ naturæ coagmentatum eſt (ſicut plerique philoſophi eam deffinitionem interpretari videntur) neque enim Organi ratio in eo ſita eſt, vt partium varietate conſtet, cum ſecuris tota ex ferro, aliáque inſtrumenta ex ſolo ligno poſſint coagmentari, quin etiam in humano corpore partes ſimilares pleræque omnes, reuera ſunt Organicę vt demonſtrat Fernel. lib. 2. Phyſio. cap. 2. Vbi merito damnat illam partium diuiſionam, quæ fit in ſimilares & Organicas, adde etiam quod plantæ nõnullæ viſuntur, in quibus nulla partium diuerſitas apparet, nam in Tuberibus ſylueriſtribus, ſola eſt radix, nullus ſtipes, folium nullum: in fungis ſolus ſtipes, radix nulla, nullum folium; idem quoque
videre

videre eſt in Epithimo, aliiſque herbis quæ filamentorum inſtar, aliis implicantur, & circumuoluuntur. In lentibus denique paluſtribus, nullus ſtipes, nulla radix. Diceres naturam, etiam partium diuerſitatem aliquibus plantis adimentem, diuerſitate gaudere. Ergo corpus Organicum non id dicitur, quod diſſimilaribus conſtat partibus; ſed quod aptam, & conuenientem figuram habet, ad opus exercendum, ad quod deſtinatur, Cæterum debet talis figura Organico corpori competere perſe, & à principio interno; quod addo quia in Lapidibus, & metallis nonnunquam figuræ conſpiciuntur, quæ viuentium proprię ſunt, celebris eſt hiſtoria de Achate Pyrrhi Regis in quo depictus Apollo cum muſis, ſuis locis ſingulis diſtinctis viſebatur, quin etiam, & in Agathe, & in aliis Gemmis variæ maculæ conſpiciuntur quæ varias corporis partes repreſentant. Marmoris fruſtrum ſectum (inquit Scalig. Exer. 107. ad lateritium parietem incruſtandum, edidit effigiem barbati ſenis, quam ad Paulum primum Eremitam, vno concenſu omnes referebant; ſane pingũt eiuſmodi ſtantem palmacea amictum ſtorea. Similiter pario in marmore Sileni effigiem extitiſſe refert Plinius: ſed & in nubibus

& bouum, & ceruorum, & hominum figuræ ſæpius viſuntur, neque tamen ex his in alicuius animæ latentis ſuſpicionem adducimur, quia hæ non fiunt à principio interno, quod ex eo colligimus, quia eadem nubes diuerſas, imò & omninò contrarias figuras poteſt aſſumere. Altera via per quam in Animæ cognitionem deuenimus eſt per operationes ipſius corporis Animati: cum enim omnis operatio procedat ab aliquo principio actiuo, videamuſque animata functiones nobilioris ordinis exercere quam inanimata colligimus in illis aſſignandam eſſe formam nobiliorem, forma inanimatorum. Functiones autem, quas in Animatis primo conſpicimus, ſunt eæ quas naturales appellamus; nutritio ſcilicet, accretio, & generatio, quod tamen non ita audiendum eſt, vt neceſſe ſit has omnes functiones perfici in eo corpore quod animatum eſt, ſufficit enim ſi vna ex his tribus deprehēdatur cum certum ſit in plantis, imo & in Animalibus ſenio confectis, facultatem auctricem, & generatiuam concidere, neque vllum opus deinceps exhibere. Si igitur harum aliquam pilis competere demonſtremus, conſequenter efficiemus illos reuera eſſe animatos, quoniam autem res futura

tura eſt clarior in accretione; ideo id vnum potiſſimum enitar, vt oſtendam accretionem propriè dictam pilis competere.

3. Ideoque id premonendum eſt, accretionem duplicem eſſe, vnam propriam, alteram impropriam; ſiquidem certum eſt & lapides, & metalla, in viſceribus terræ incrementum ſuſcipere; quæ tamen plerique omnes philoſophi inanimata eſſe decernuunt: ac propterea duplici indicio hanc ab illa diſtingunt; primo quia animata, quæ priori modo creſcunt; creſcunt ſecundum quamlibet ſui partem, cum enim quælibet pars viuentis, ſit viuens, conſequens eſt vt nutriatur, ergo vel minima illius particula attrahit ad ſe, & pro lectat alimentum, cuius apulſu & nutritur pariter, & augetur, Inanimata vero dicuntur creſcere per additamentum ſiue appoſitionem nouæ portionis, eo penè modo quo videmus paruum globulum niuis, dum per niuem rotatur, magis ac magis creſcere, & in magnum aceruum conſurgere, dum noua, & noua portio, priori ſe adiungit, in qua accretione paruus ille globulus nō creſcit, ſed ipſe cum alia niuis portione iunctus, maiorem & ampliorem efficit aceruum. neque enim maior eſt ratio cur globulus ille primus creſce-

re dicatur, per adiũctionem, & appoſitionem nouæ portionis quam hæc noua portio per appoſitionem ad primum illum globulum. Ex quo ſequitur diſcrimen aliud, inter accretionem animatorum, & inanimatorum; cum enim hæc, hoc quem dixi modo creſcant, tantum poſſunt creſcere quantum materiæ de nouo ipſis poteſt adiungi: verbi gratia aceruus ille niuis, poſſet non tantum ad montis magnitudinem, ſed in multò ampliorem molem exſurgere, ſi tantum materiæ apponeretur; vt enim priori poſterior ſe adiunxit, ſic & huic noua, & huic alia, & alia conſequenter poteſt apponi niuis portio: At vero animata, quia creſcunt à virtute inſita, & intrinſeca, quę certos habet, & determinatos limites, ideo cum debitam, & conuenientem ſuæ naturæ magnitudinem ſunt adepta, non vlterius excreſcunt, quia finita illa virtus, incrementum promouere amplius non poteſt, vnde videmus animalia vbi ſe ad iuſtam magnitudinem extulerunt, non amplius creſcere, quamuis copioſiſſima ipſis ſuppetat materia, quæ in adipem faceſſit, & ſanè homo circa vigeſimum quintum ætatis annum, integrum habet, & vegetum natiuum, calorem, partes quę omnes nutritioni dicatas valen-

lentes obtinet ; ita vt ceſſatio accretionis, quæ eo tempore contingit in materiæ defectum reiici nullo modo poſſit. Neque vero hoc loco prætereundum eſt etiam in viuentibus duplicem accretionem eſſe diſtinguēdam, vniuerſalem vnam, alteram particularem, vniuerſalis eſt qua totum viuens omnéſque illius partes æquali incremento prouehuntur ſeruata quadam iuſtitiæ proportione, particularis vero eſt qua vna ſola viuētis pars augetur, dum aliæ aut non augentur, aut non iuxta proportionem illius augentur, ſic in ſenibus dentes nonnunquam erumpūt cum tamen cæteræ partes deffectu humidi pinguis cōtabeſcunt, ſic certo tempore prodeunt, & creſcunt, folia, flores, fructus, non in alio : ſic vbera fœminis, humeri maribus, pudenda vtriſque, eo tempore augentur, & creſcunt quo neceſſaria eſſe incipiunt.

† †
†

CAPVT XX.

1 In pilis nulla pars ad nutritionem neceſſaria deſideratur.

2 Habent pili ſuas cauitates in quibus attractum alimentum recondant, & concoquant.

3 In aculeis herinaceorum, & in pilis Regis Nabuchodonoſor cauitates illæ manifeſtè innoteſcunt.

4 Etiã naturaliter contingere potuit illa pilorũ Craßities in pilis Regis Nabuchodonoſor.

5 Habent etiam pili ſuũ natiuum calorem, cuius miniſterio alimentum concoquant.

QVoniam in eorum ſententiam libentiùs imus, qui pilos animatos eſſe decernunt, ideo nobis duplex potiſſimùm incũbit negocium: alterum vt oſtendamus pilos debitam, & conuenientem figuram, partiumque apparatum, exercendis animæ functionibus idoneum nactos fuiſſe, alterum vt animaſticas functiones ab ipſis exerceri declaremus. Itaque quod ad primum attinet, ſi pilorum ſtru-

ſtructuram placeat acuratius contemplari, nihil in illis deſiderabis ad priores naturæ functiones exercendas neceſſarium. Nutritio ſiquidem quatuor facultatum miniſterio perficitur, attractione ſcilicet, retentione, cõcoctione, & ſuperflui expulſione: habent autem pili radices, & villos per quos alimẽtum è partibus quibus implantantur ſugant, & alliciant; atque has radices pingui, & glutinoſo humore abundare, iam non ſemel ex Ariſtotele docuimus ipſáque monſtrat quotidiana experientia habent etiam pili ſuas cauitates in quibus attractum alimentum retineant, & recondant: habent & ſuum natiuũ calorem quo vigente bene concoquitur alimentum, vegetúſque in ipſis effloreſcit color: quo defficiente crudum, & incoctum permanet alimentum, ac conſequenter dum minus benè nutriuntur, vegetum illum colorem deponunt, & candeſcunt: habent denique ſuos poros, per quos ſuperfluum, & reſiduum alimenti foras propulſent, vnde in pleriſque, pili ferè perpetuò madent. Quæ omnia vel ſenſuum teſtimonio demonſtrantur, niſi fortè quod ad cauitates, & natiuum calorem ſpectat.

2. Cæterùm cauitates in pilis ineſſe, & experi

perimenta & rationes conuincunt ac imprimis pili eorum qui Plica affecti ſunt, acu pũcti ſanguinem emittunt, vt ſupra docuimus, Ergo intra cauitatem ipſorum contineri debet ſanguis ille. Quin etiam in pilis quorundam animalium huiuſmodi cauitates manifeſtò deprehenduntur, vt in pilis Alces, huius enim pellem à Ceruina diſtingui aiunt quod ſi in illam inſufles, flatus à retro oppoſita manu percipiatur, quod pili in illa implantati, ob manifeſtam quam habent cauitatem, flatum illum tranſmittant. Qua de re ſic Geſnerus de Quadrupedibus viuiparis in hiſtoria Alces, *à ceruina cui ſimilis eſt inſpirata diſcernitur, fertur enim tranſmittere ſpiritum, vt ab oppoſita manu percipiatur, cum ſit plena meatibus, & pili in ea concaui. Ego vngulam integram cum ima tibiæ parte piloſa vidi, nec vllam in pilis cauitatem reperi; quamuis fieri poteſt, vt meatus quidam, qui in viuis erant; mortuis collabantur, præſertim longo poſt tempore.* Idem quoque rationibus demonſtratur. Scribit enim Ariſtoteles 5. de Genera. Animal cap. 4. Caniciem fieri, cum alimentum à pilis attractum, à debili ipſorum calore coqui non poteſt, ac propter incoctionem in flatum vertitur, qui flatus incluſus in terreo albeſcit, Ergo in ter-

rea

rea pili portione neceſſaria eſt cauitas, qua & alimentum & flatus contineatur. Similiter idem Ariſtot. cap. 3. ſcribit Criſpum pilum effici, cum vapor calidus, pili ſubſtantiam perreptat; ita enim vapor pilum attollit; Terrea portio eundem deprimit; at quomodo calidus vapor pili ſubſtantiam peruadet niſi in ea ſint liberi, & aperti meatus. Adde etiam quod pili vbi ſe ad certam magnitudinem extulerunt, ſæpe numero bifurcātur, plantarum inſtar, in quibus à ſtipite rami exſurgunt: Quod ſi dicas id contingere quia pilus ſuaptè natura fiſſilis eſt, vt ſcribit Ariſtoteles 3. de hiſtor. Animal. cap. 11. ſtatim initio; ſanè ex hoc ipſo manifeſtè demonſtro id quod intendebam in pilis ſcilicet eſſe meatum qui à radice ad cuſpidem excurrat; ſiquidem Ariſtoteles 4. Meteo. cap. 9. apertè docet ea quæ fiſſilia ſunt, meatus habere ſecundum longitudinem. Verba eius ſubiicio. *Eſt autem fiſsibile* (inquit) *quod poteſt diuidi ad plus quam diuidens diuiſit, findi tur enim cum ad plus diuidatur, quam diuidens diuidit, & præcedit diuiſiô, in ſectione autem non eſt hoc. Non fiſsibilia autem ſunt, quæcumque non poſſunt hoc pati: Eſt autem neque molle vllum fiſsibile; dico autem ſimpliciter mollium, & non adinuicem; ſic enim & fer-*

rum

rum erit molle; neque dura omnia ſunt fiſsibilia, ſed quæcunque humida ſunt, neque impreſsibilia, neque friabilia, talia autem ſunt quæcunque ſecundum longitudinem habent meatus, ſecundum quos adnaſcuntur inuicem, ſed non ſecundum latitudinem.

3. Sed & manifeſtè meatus ille à radice in cuſpidem tendens, conſpicitur in aculeis Erinaceorum, quos de pilorum genere eſſe apertè docet Ariſtoteles 5. de gener. animal. cap. 3. *Iam & aculeos* (inquit) *qui à nonnullis vice pilorum geruntur genus eſſe pilorum exiſtimandum eſt vt herinaceorum aculeos & ſi quid eiuſmodi aliud in genere viuiparo eſt.* Quin & pilos Regis Nabuchodonoſor, huiuſmodi aculeis aut pennis Aquilarum ſimiles euaſiſſe referunt ſacræ. pag. Daniel. 4. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fænum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem Aquilarum creſcerẽt.* Quibus verbis indicãt ſacræ paginæ, pilos Regis Nabuchodonoſor ad tantam craſſitiem deueniſſe, vt pennas Aquilarum æmularentur, in quibus nemo non deprehendit manifeſtas cauitates, ſicut in aculeis herinaceorum.

4. Dicet aliquis euentum illum tanquam mira-

miraculoſum à ſacris paginis proponi, ac proinde ex eo nihil ad rem noſtram poſſe colligi. Reſpondeo in ſacris paginis, permultos huiuſmodi euentus, miraculoſos prima fronte apparere, qui tamen nonnũquam ex cauſis naturalibus ſuſcitati ſunt; ſic 15. Exod. legimus Moſem amaras aquas iniecto ligno emendaſſe, & bibendas populo exhibuiſſe: quem euentum nuſquam in cauſam naturalem referendum exiſtimaſſem, niſi Eccleſiaſticus cap. 38. medicinæ opera commendans, inter alia ſic haberet; *nónne à ligno indulcata eſt aqua?* ſanè huiuſce euentus commemoratio, nihil ad medicinæ commẽdationem faceret, niſi per applicationem cauſarum ſecundarum id contigiſſet. Similiter dum Tobias iunior, felle piſcis quem extraxerat, oculos parentis illiniuit, albuginem ſubſtulit. Sic Ezechielis peſſimum vlcus, admotis ficubus fuit perſanatum; ſic & pili Regis Nabuchodonoſor in tantam craſſitiem euaſerunt, eas ob cauſas quas ſupra recenſui cap. 6.

5. Ex his igitur patet, nihil in pilorum ſtructura poſſe deſiderari quod ad perficiendam nutritionem requiritur: quod vero attinet ad natiuum calorem, quo pilum inſtructum

eſſe diximus, quique omnino neceſſarius eſt ad nutritionem, & alias animæ functiones, non infrequenter docet Ariſtoteles eum in pilis reuera eſſe, nam 5. de genera. Animal. cap. 4. ſic habet. *Quibus hominibus natura pilorum parum calida eſt; plúſque humoris ſubit, calor proprius nequit concoquere, atque ita humor putreſcit*, & paulo poſt, rationem reddens, cur pili per morbum cani euadant. *Cauſa eſt, inquit, quod per ægritudinem, vt totum corpus, inopia caloris naturalis laborat, ſic partes etiam minimæ, eadem participant labe; multum autem excrementi conſiſtit in partibus corporis; quam ob rem in pilis etiam cruditas eſt.* Idem quoque frequenter repetit in problema, alibique paſſim, vt fuſius demoſtrabimus, cum de pilorum coloribus diſſeremus.

***

Capvt

CAPVT XXI.

1 Pilos creſcere accretione propriè dicta & viuentium propria colligitur ex variis locis Ariſtotelis.

2 Idem demonſtratur ex eo quod Canicies, quam ex alimenti putredine fieri decernit Ariſtoteles, à cuſpide oriatur.

3 Pili non in ſolam longitudinem; ſed in cæteras quoque ſitus differentias excreſcunt, ex quo colligitur eos non creſcere per iuxta poſitionem.

IAm vero vt demonſtrem pilos creſcere accretione propriè dicta, & quæ viuentibus competit; duo ſunt declaranda, alterum pilos non à radice tantum creſcere, ſed ſecundum omnes partes incrementum ſuſcipere, & in omnem dimenſionem extendi: ſcribit enim Ariſtot. plantas eſſe animatas, quia in omnem dimenſionem, & ſecundum omnes partes excreſcunt: alterum, certum accretionis ter-

minum, ipſis à natura præfixum eſſe. Quod igitur ad primum attinet, quamuis Ariſtoteles 3. de hiſtor. Animal. cap. 11. ſcribat pilos præciſos non ab inciſura augeri, ſed inferiùs à radice exire, atque ita euadere longiores; Idem tamen variis in locis cõtrarium innuit, quod ſic oſtendo; pili creſcunt ſecundum eas partes quæ nutriuntur: At docet Ariſtoteles etiam ſuperiores partes, ſiue cuſpidem pili, nutriri; Ergo in ea quoque fiet accretio: maior certa eſt; minor probatur. Ariſtoteles probl. 23. Sect. 10. Quærit quid cauſæ ſit, cur ouibus pili eo duriores ſint, quo prolixiores, hominibus contra molliores quo prolixiores. *An quod ouium pili* (inquit) *qui quale diximus capiunt alimentum, vbi procul ſe ab ſuo deduxerunt initio, ieiuniùs veſcuntur, & alimentum quod ineſt, vi caloris facilè pro ſua incoctione euaporatur; itaque ſiccati duriores redduntur: molle námque humidum eſt: hominum vero pili minus alimenti, ſed plus initio hauriunt; coquitur autem pleniùs quoniam minùs eſt; concoctum autem, pilum efficit molliorem, concocta etenim quæcúmque molliora inconcoctis redduntur.* Sanè hæc Ariſtotelis ſolutio nulla omnino erit, ſi alimenmentum ad ſolam radicem pili applicetur, neque per totam ipſius ſubſtantiam diſtribua

buatur: quomodo enim in longiore pilo meliùs coquitur alimentum, quam in breuiore; cum & longioris, & breuioris pili, radix ſit ſemper æqualis. Itaque perfectioris illius coctionis, quæ fit in longiore pilo, non alia videtur eſſe cauſa quam quod in longiori illo tractu, pili alimentum magis ac magis excoquitur, ab inſito pili calore, adeo vt non ad ſolam radicem appellat, ſed per totum pilum diſtribuatur: niſi enim ita fieret profectò pilus hominis quo prolixior eſſet, eò durior euaderet quod ab externo aëre magis ac magis exſiccetur. Sed & ipſi loquendi modi, quos tum hoc in loco, tum in aliis, vſurpat Ariſtoteles non poſſunt competere niſi ei viuenti quod propriè creſcat & nutriatur, quis enim dicat lapidem capere alimentum, ieiuniùs veſci, alimentum quod in ipſo eſt euaporari, ob ſuam incoctionem; plus alimenti initiò haurire, alimentum in ipſo coqui pleniùs. Sed apertiùs & clariùs id quod intendimus docet idem Ariſtot. lib. de coloribus cap. 6. *Sunt & pili inquit qui in corpore rufi plurimum temporis manent, ob inopiam alimenti; quoniam ſecundum tempus quo augentur: & hos ſimiliter contingit nigreſcere, ſicut hoc idem euenit, tam pilis pubis, quam capitis; hoc autem ex*

eo liquet quod quæcumque lõgiores habent pilos, vt plurimum qua parte in faſtigium exſurgunt, flaueſcunt magis; quales ouium, equorum, & hominum; illa enim pilorum pars ob alimenti paucitatem in eam defluentis cito exareſcit, vides vt manifeſtè aſſerat Ariſtoteles alimentum ad cuſpidem vſque excurrere quamuis in minore quantitate.

2. Ad ſuperiores illas authoritates, nonnullas rationes adiiciemus, primò. Pili non creſcunt per additamentum: ergo vera & propriè dicta accretione Antecedens ſic probatur, ſi pilus ita creſceret quod noua materia ad eius radicem dumtaxat ſe inſinuaret, neque per totam ſubſtantiam diſtribueretur, perpetuò canicies à partibus radici proximioribus inciperet: incipit autem ſæpe numero à cuſpide, Ergo pilus non creſcit per iuxta poſitionem. Minor certa eſt, neque ſemel ab Ariſtotele repetita, ac potiſſimum 5 de generat. Animali cap. 5. vbi hoc indicio demonſtrat, caniciem ex ariditate non fieri: conſequentia vero maioris ſic demonſtratur canicies ex ſententia Ariſtotelis fit ex putredine alimenti; Ergo ea pars debet caneſcere, quæ putridum excipit alimentum, ſi ergo illud ad ſolam radicem appellat, ſola radix, &

poſte

poſtea pars radici proximior debet caneſcere, cum autem certum ſit caniciem à cuſpide inchoari; ſane ad hanc ipſam alimentum debet aceedere, potiſſimum vero cum iam ſupra demonſtratũ ſit, in pilis ineſſe meatus ſecundum longitudinem. Et confirmatur hoc argumentum quia ſicut roſæ rubræ, vapore ſulfuris ſuffumigatæ priſtinum colorẽ deponunt, & pallidiores conſpiciuntur, quod conſumpto vi calidi vaporis, roſæ ſucco, flatus intus ſubeat qui in terreo incluſus albeſcit, ſic pili eodem vapore ſuffumigati; aut lixiuio abluti, & ſoli expoſiti, aut aqua forti imbuti, priorem colorem deponunt, & cãdidiores euadunt, quod non alia ratione contingere videtur, quam quod vi caloris ſuccus intra pilum contentus, foras euocetur, quo euocato accidit illa colorum, mutatio: adde etiam quod nonnunquam contingit ſubita canicies (vt ſupra monuimus) per totum pilum, Ergo per ipſum totum, alimẽtum erat diſtributum conſequentia probatur quia canicies contingit cum in locum alimenti flatus ingreditur iuxta Ariſtotelem.

3. Secundo idem probatur pili in omnem dimentionem creſcunt; ſiquidem ætate prouectioribus fiunt multo craſſiores, denſiores,

 &

& firmiores, quam infantibus: In his enim à primo ortu inſtar teneræ lanuginis efflore-ſcunt, procedente vero tempore, in omnes ſitus differentias creſcunt: Ergo eorum in-crementum non fit à ſola radice. Reſpon-dent aliqui ad hanc rationem, pilos craſ ſiores, & denſiores euadere non quod quælibet particula pili nutriatur, propriá-que virtute alimentum ſugat, cuius appul-ſu, & foueatur & creſcat, ſed potius talem ac-cretionem fieri per accidens, quod ſcilicet in adultis, latiores, & patentiores meatus eua-dant, ex quibus dum copioſior erumpit ma-teria, pilus quoque craſſior, & firmior ſubna-ſcitur. At quis non videt merum, & non ve-rum ſubterfugiũ, ſimili enim ratione poſſet quiſpiam dicere dentes in omnem dimẽſio-nẽ creſcere adultis, eo quod oſſiũ meatus in illis fiant patentiores, & latiores. Sed neque verum eſt, ſolam meatuum laxitatem craſſio-res pilos efficere: ſiquidem in ſenibus meatus euadere patentiores declarat Ariſtoteles, ſi-cut enim, inquit, in antiquis ædificiis, parietes ob ſiccitatem rimas agunt, ſic & in exſucco ſenis corpore huiuſmodi quaſi rimæ contin-gunt, vnde fit vt ſupercilia in ſenibus non-nunquam ita creſcant vt tondendum ſit.

Atqui

Atqui certum eſt in ſenibus, pilos multò te-
nuiores euadere: tantum abeſt vt craſſiores
fiant, ſiquidem in Canicie non ſola contingit
colorum mutatio; ſed ipſi etiam pili conta-
beſcunt, & extenuantur: vt declarat Ga-
lenus 2. de Tempera cap.5. *Quibus autem* (in-
quit) *ad ſummam ſiccitatem cutis capitis non per-
uenit imbecilli his omnino albique pili fiunt quos
vulgo canos appellant; imbecilli quidē conuenientis
alimenti penuria, albi vero propterea quod alimen-
tum quo aluntur, eſt veluti ſitus pituitæ quæ ſpatio
computruit.* Sed eſto, demus pilos in ætate pro-
uectioribus craſſiores euadere, ob meatuum
laxitatem; non tamen ita labefactatur argu-
menti vis: cum enim certũ ſit, vnum & eun-
dem pilum qui intonſus ad quintum, aut ſex-
tum annum, aut vlteriùs permanſerit, etiam
in cuſpide multo firmiorem, & craſſiorem
euadere, quam eſſet in primo vitæ exordio
ſanè id apertè demonſtrat, alimentum non
ad ſolam pili radicem apponi, ſed per vni-
uerſam eiuſdem ſubſtantiam diſtribui, quo-
modo enim pars ea quæ teneræ lanugini ef-
floreſcenti ſimilis erat, potuit tam firma, &
craſſa euadere, niſi alimentum exceperit. Er-
go pilus nõ nutritur per ſolam iuxta poſitio-
nem.

CAPVT XXII.

1 Pilorum proportionalia, cuiuſmodi ſunt frondes arborum, pennæ auium, ſquammæ piſciũ, &c. huiuſmodi, reuera creſcunt accretione propriè dicta.

2 In tenero cerui cornu hederæ ramus inſertus; fidem facit ipſum cornu nutriri, & viuere.

3 Pili habent certum accretionis terminum; quem vbi aſſequuti ſunt vlterius non excreſcunt, quamuis copioſa ad radicem ſuppetat materia.

4 Quare macula quæ in radice vnguis apparet, citò in extremitate eiuſdem viſatur.

5 Permultæ partes viuentis, etiam in decrepita ætate renaſcuntur.

TErtio ſic Argumentor, ita ſe habẽt pili in homine, cæteriſque animalibus piloſis, vt frondes in arboribus, pennæ in auibus, ſquammæ in piſcibus: in aliis Cruſtæ, Apices, Circuli, Forcipes, Cornua, vngues, vngulæ: hæc enim omnia, eadem materia conſtare; & eodem modo ſe habere, & pilorum proportionalia ap-

appellari non ſemel docet Ariſtoteles, qui ex Empedocle hos etiam citat verſus 4. Meteo.

Sunt eadem crines, frondes, denſæq; volucrum
Pennæ, tum ſquãmæ, queis fortia mẽbra teguntur.

Et confirmatur, quia hæcomnia ad eoſdem vſus à natura inſtituta ſunt, nempe ad tegumentum, ornamentum, & deffenſionem, eorum quibus inſunt, Ergo cum hæc omnia eadem materia conſtent, & ad eundem finem ſint ordinata; eadem quoque forma donabuntur, iuxta naturæ ſuæ conditionem. Atqui frondes, pennæ, ſquammæ, Cornua, Cruſtæ, Apices, & verè nutriuntur, & creſcunt veréque ſunt animata; Ergo & pili. Maior certa eſt, & ab Ariſtotele vt monui frequenter repetita; minor vero inductione probatur: ac primo quod ad frondes arborum ſpectat; exiſtimo nullam poſſe eſſe controuerſiam quin reuera nutriantur, & creſcant, ea accretione, quæ viuentium propria eſt: neque enim vllus partium apparatus ad vitam neceſſarius in his deſiderari poteſt. Viden vt fibræ, & ſtamina, certo orne diſtributa, certaque legè perpetuo obſeruata, vniuerſam foliorum ſubſtantiam per reptant: vt tenui membrana, & hinc, & inde obuoluantur vt illa interſtitia quæ ſunt in-

ter ſtamina quaſi pulpa quadam infarciuntur, vt hæc omnia æquali incremento promouentur, nihil profectò eſt ad animati corporis perfectionem neceſſarium, quod non palam, & apertè, in his conſpiciatur. In pennis vero non hæc tantum quæ enumerauimus, veræ nutritionis, & accretionis indicia, ſed alia quoque conſpiciuntur: dum enim erumpunt illæ, calamus multò madens ſanguine conſpicitur, quem membranoſa vena ipſum permeans deuehit: quod ſi placeat etiam extremarum pinnarum vniforme incrementum contemplari, occurret manifeſtum argumentum quod apertè fidem faciat, accretionem quæ viuentium propria eſt, in illis exerceri: nam in pauonibus extremarum pennarum color, in rotæ modum rotundus, & cum pulchritudine varius, æquè cum corpore pauonis increſcit in orbem. Idémque æquale incrementum apparet in Conchiliis, Buccinis, Oſtreis, Locuſtis, Teſtaceis omnibus, & Oſtracodermis in quibus Cruſtæ, Apices, Circuli, forcipes, vngulæ, vngues, non minus quam reliquæ partes corporis æquali promouentur incremento.

2. In Cornubus vero peculiare vitæ argumentum prębet Ariſtoteles 9. de hiſtor. Animal.

mal. cap. 5. Captus inquit iam Ceruus eſt Hederam ſuis enatam cornibus gerens viridem, quæ cornu adhuc tenello fortè inſerta, quaſi ligno viridi coaluerit, quod idem etiam teſtatur Plinius, hanc autem inſertionem ita contingere ex eodē Ariſtotele conijcio. Ceruus quotannis circa menſem Aprilem cornua ſolet deponere; his amiſſis quoniam ſe ſuis propugnaculis, & præſidiis deſtitutum ſentit, ideo in auia quædam loca ſecedit, & noctibus dumtaxat ad pabula procedit, ne veluti inermis reperiatur, dum autē cornua rurſum erumpunt ea initio admodum tenera ſunt; ac propterea ſoli exponit vt excoquantur, & ſicciora euadant, vt igitur experiatur, vtrum debitam, & conuenientem ſoliditatem adepta ſint, ſolet iis arborem impetere, aut illa ad hanc allidere, qua ex alliſione, ſi non indoleſcat ea relinquit loca, cōfiſus ſe habere præſidia conuenientia: dum ergo tenerum Cornu ad arborem alliditur, fieri poteſt vt huic tenello, & molli, hederæ ſurculus inſeratur, qui conuenientem ſuccū in illo nactus, nutritur, & augetur. Vnde colligere eſt ipſum cornu viuere, quomodo enim viuens ſurculus ipſi poſſet inſeri, aut inſertus nutriri, niſi Cornu viueret, ſanè do-

cet

cet experientia non poſſe ſurculos ex plantis decerptos, arido trunco inſeri. Adde quod vt ipſe non ſemel obſeruaui in ceruis cicuribus dum cornua renaſcuntur, vbi primo extuberãt,multo ſanguine turgent,adeo vt ſi pellis ea qua veſtiuntur laceretur, ſanguis effluat ſicut ex aliis partibus:quin & huiuſmodi ſurculos tanquam teneros,& ſuaues in deliciis haberi & à primatibus expeti refe runt. Addere poſſem in huius argumenti cõfirmationem concinnam & elegantem horum cornuum diſtinctionem, quæ manifeſtè docet latere in ipſis animaſticam quandam facultatem ſeu particularem vim informatricem; verùm quia commodior ſe offeret occaſio de illa diſſerendi cum cauſam effectricem pilorum inueſtigabimus, ideo non pluribus hoc loco diſſeremus. Ergo ſi & cornua & pennæ, & frondes, & alia huiuſmodi, quæ pilorum proportionalia dicuntur,reuera nutriantur,& creſcunt ea accretione quæ viuentium propria eſt; ſanè ipſi pili eodem modo debent excreſcere.

3. Alterum ſignum propoſuimus quo viuentium accretio, ab altera impropriè dicta ſeparatur, nempe quod viuentia certos habeant ſuæ accretionis terminos, quos cum aſſe-

aſſequuta ſunt ceſſat incrementum quamuis plurima ſuppetat materia quæ ipſis poſſet vniri: inanimata vero nunquam creſcendi finem faciunt, quamdiu aptam, & conuenientem materiam nanciſcuntur. Atque illud indicium tam apertè pilis competit, vt nō opus ſit alia probatione, cum & ipſos cōtrariæ ſententiæ aſſertores, experientia conuictos fatentes habeamus: ac propterea horum aliqui diuinam prouidentiam hac in re admirantur. *Quod autem pili* (inquit Fernelius 2. de Elemen. cap. 2.) *cum ad iuſtam magnitudinem peruenerunt, non vltra promitti trahiq́ poſſunt tametſi materia ad radicem ſuppetit, vnum ex his eſt in quibus non aliud quam mirari liceat Dei, & naturæ prouidentiam.* Et ſanè multo conſultiùs reſpondet, quam hi qui neſcio quam rationem huiuſce euentus comminiſcuntur, aſſerentes pilos vbi ſe ad certam magnitudinem extulerunt non amplius creſcere quia virtus expultrix quæ ab radice vrget non poteſt pilum vlterius propellere, ſed quam parum veriſimile hoc reſponſum, Etenim virtus expultrix, vlteriùs pilum nequit propellere, aut quod debilior facta ſit, aut quod ſit impedita: primum dici non poteſt, quia ſi pilus abſcindatur, aut nouacula abradatur, rurſum

idem

idem emerget, ſeſeque ad priſtinam magnitudinem extollet; ergo nullo modo infirmata eſt illa virtus; imo potius ex crebra, & frequenti barbæ attonſione ea multo denſior, & firmior euadit. Iam vero quomodo vis illa in radice reſidens impediatur à longiore pilo, quo minus ſuum opus exerat, ne quidē poſſum imaginari, dicere enim pilum longiorem, ſuo pondere, & grauitate, niſui virtutis expultricis reſiſtere, planè ridiculum eſt, cum potius grauitas pili longioris, hunc niſum adiuuare poſſit, quàm retardare. Itaque pilus ad iuſtam magnitudinem euectus, non creſcit vlteriùs quia cæterorum viuentium more, certos habet, & præfinitos, ſuæ accretionis terminos, extra quos non poteſt operari vis illa auctrix quæ in ipſis reſidet.

4. Obiicies primo pili eodem modo videntur creſcere, quo vngues: hi autem creſcunt per additamentum: Ergo & illi. Maior certa eſt; minor probatur, quia macula quæ in radice vnguis apparet, paulo poſt in medio, & poſtea in extremitate vnguis viſitur, & abſcinditur. Ergo pars illa vnguis quæ erat in radice, eſt in extremitate, & quod conſequēs eſt vnguis creſcit per iuxta poſitionem. Reſpon-

pondeo hoc argumento quod firmiſſimum videtur pro contraria opinione, ſententiam noſtram magis confirmari. Dico enim maculam illam eſſe ſuperfluum quendam humorem, quem vis expultrix partium vicinarum ad vngues detruſit, hi autem quia etiam ſua vi expultrice pollent, huiuſmodi ſuperfluum humorem ad extremitatem expellunt. Atque rem ita ſe habere ex eo coniicio, quod fere intra ſeptem, aut decem dies, macula illa quæ in radice viſitur, ad extremitatem vſque peruenit: Certum eſt autem intra tam paucos dies, tantum vnguium incrementum fieri non poſſe. Quin etiam nonnunquam diſparet hæc macula antequam ad extremitatem peruenerit, quod excrementitius, ille humor à natiuo vnguis calore digeratur, Adde etiam quod ſemicirculus ille, aut potius ſegmentum circuli quod ad radicem vnguis conſpicitur nuſquam ad extremitatem per reptat, quod profecto fieri deberet, ſi ita vnguis creſceret, vt ſtatuunt contrariæ opinionis aſſertores.

5. Obiicies ſecũdo pili qualibet ætate etiam decrepita renaſcuntur Ergo non ſunt animati consequentia probatur inductione facta per omnes partes viuentes, nulli enim

hoc

hoc videtur conceſſum vt poſſit in declinante ætate regenerari, cum nec in Adoleſcentia id cuiquam datum ſit. Reſpondeo negando conſequentiam; ad cuius probationem dico plurimas eſſe partes viuentes tum in homine, tum in aliis corporibus animatis, quæ toto vitæ decurſu poſſunt regenerari; nam in homine dentes aliqui etiam in extrema ſenectute de nouo producuntur quos propterea ſapientiæ dentes nominant, cæteri vero perpetuo creſcunt; Caro ſimiliter ſemper poteſt regenerari: nam ſenex qui per morbum valdè macilentus factus eſt, poteſt rurſus pingueſcere, & carnibus veſtiri similiter in arboribus folia quotannis decidunt, & renaſcuntur; ſicut & Ceruis cornua, quæ eſſe animata ſupra demonſtrauimus.

***

CAPVT XXIII.

1 D. Thomas exiſtimat pilos animatos eſſe anima totius, eius rationes.

2 D. Bonauẽtura vnicuique pilo ſuam attribuit peculiarem animã, eius rationes.

3 Reſpondetur rationibus pro ſecunda opinione adductis.

QVoniam ex iis quæ ſupra diximus conſtat pilos animatos eſſe, conſequens eſt vt inquiramus qua anima informentur, an ſcilicet eadem anima quæ viuentis corpus animat, pilos etiam informet; an vero quilibet pilus propriam habeat, & peculiarem formam qua informetur, ſicut videmus plantas terræ affixas non informari forma terræ, ſed vnamquamque propriam, & peculiarem obtinere animam. In hac difficultate duæ ſunt ſententiæ vti ſupra monui. Altera D. Thomæ aſſerentis pilos animatos eſſe anima totius verbi gratia pilos hominis anima-

tos eſſe anima rationali, non quidem quo ad omnes gradus, ſed tantum quo ad gradum vegetatiuum, quam ſententiam his argumẽtis confirmat. Primo pili exercent operationes vitales; Ergo ſunt animati: atqui in vno viuente, vnica tantum ineſt anima, Ergo omnibus partibus corporis viuentis vnica dumtaxat ſufficiet anima. Secundo pili eaſdem ſubeunt mutationes cum reliquo corpore: ſiquidem pro natiui caloris (in quo totius animati vita conſiſtit) copia, aut inopia, creſcunt & decreſcunt; mutantque colorem, vt patet quia pilus in ſenectute non ſolum colorem immutat, ſed etiam extenuatur & contabeſcit; in adulta verò ætate non tantum in longitudinem, ſed in latitudinẽ quoque, & craſſiciem augetur, Ergo pili eadem anima informantur qua cæteræ partes. Addo tertium argumentum quod non parum habet roboris pro hac ſententia ſtabilienda: pili conſtant eadem materia ſeminali qua cæteræ partes viuentes, & ab eadem virtute formatrice ſuſcitantur; Ergo eadem forma informantur, Conſequentia certa eſt; Antecedens vero quoad primam partem iam ſatis demonſtratum eſt, quod vero ad aliam ſpectat; quæ eſt de vi formatrice, ea inferius de-

declarabitur cum efficientem pilorum cauſam inueſtigabimus.

2. Altera opinio eſt D. Bonauenturæ, Durandi & aliorum aſſerentium pilos animatos eſſe, non anima totius, ſed propria & particulari, quæ ſola vegetandi facultate inſtructa ſit, ac propterea pilos ſe habere ad corpus ſtatuunt, eo modo quo plantæ ſe habent ad terram, cui affixæ ſunt, Quæ ſententia his rationibus aſtrui poſſe videtur. Prima quia quęlibet pars viuens in Animali, non tantum habet pręfinitum ſuæ accretionis terminum, ſed etiam in ipſo vitæ decurſu, certum eſt tempus quod cum exceſſerit, deperdita regenerari non poſſit. At vero pilis neque certus accretionis eſt terminus; neque vllum eſt tempus in toto vitæ decurſu, quo ſi præſcindantur nō rurſus excreſcant, & in priſtinam magnitudinem ſe attollant; Ergo habent propriam & peculiarem animam diſtinctam ab ea quæ cæteras partes informat. Secunda quia Hecticis quibus cæteræ partes contabeſcunt ſoli pili, & vngues, luxuriant, ſe ſeque diffundunt, Ergo habent diſtinctam formam. Tertia quia corporibus vita functis pili etiam ſuccreſcūt, hæc autem accretio procedere non poteſt ab anima totius, quæ à

corpore ſeparata eſt: Ergo à propria & peculiari, quæ pilo inſita eſt, remanetque abſente anima totius. Denique abſurdum videtur dicere in capillis à capite ad talos vſque defluentibus contineri animam rationalem.

3. Sanè vtraque opinio ſua probabilitate nō caret, vixque occurrit cui libentiùs ſubſcribam, ſolus communior philoſophorum conſenſus, conſpirans in priorem ſententiam facit vt ad eam quoque accedam. Itaque rationibus pro ſecunda ſententia adductis ſatisfaciendum eſt. Ad primam igitur dico pilis præfixum eſſe certum accretionis terminū, vt ſæpius iam oſtendimus, quod vero attinet ad aliam partem huius obiectionis. Reſpondeo dentes, quos animatos eſſe nemo dubitat, toto vitæ tempore creſcere, imò & nonnullos de nouo produci vt ſupra declarauimus & docet Ariſtoteles 5. de generat. Animal. cap. vltimo, *nonnullis* (inquit) *etiam ſeneſcentibus omnino producuntur qui loco vltimo habentur.* Cauſa autem propter quam dentes toto vitæ decurſu augentur hæc eſt, quia eorū vſus ſemper eſt neceſſarius cum enim nutritio toto vitæ tempore perduret, conſequenter in omni vita indigemus alimēto hoc

autem

autem dentibus debet atteri; Et quoniam omne agens agendo repatitur dum dentes cibum atterunt, ipſi quoque atteruntur; ac propterea breui conſumerentur niſi accretionis beneficio id quod diſſipatum eſt reſtauraretur; Ergo cum pilorum vſus toto vitæ tempore ſit etiam neceſſarius, quid mirũ ſi qualibet ætate præciſi in priſtinam magnitudinem aſſurgant; horum autem neceſſitatem declarat Ariſtoteles 3. de partibus Animal. cap. 14. *Homo*, inquit, *animalium maximè omnium piloſo capite eſt, cuius rei cauſa, tum ad neceſsitatem, tum ad præſidij rationem referenda eſt, neceſſarium enim propter cerebri humiditatem, & commiſſuras caluæ: nam vbi plurimum humoris caloriſq́, ibidem ortum pilorum eſſe copioſum neceſſe eſt; adiumenti autem ratio, vt frequentia pili caput operiens defendat à nimio frigore, & calore: Cum enim cerebrum hominis proportione maximũ, & humidiſsimum ſit, maximam etiam tutelam deſiderat: Res namque humidiſsima quæq́, & referueſcere, & refrigeſcere, maximè idonea eſt.* Secundæ obiectioni ſupra ſatisfecimus cap. 18.

Ad tertiam Reſpõdeo, cum Aphrodiſæo, cutem viuentium à multo ſpiritu, & humore attoli, quibus poſt mortem conſumptis, cutis deprimitur; vnde fit vt ea pili pars quæ in-

tra cutem deliteſcebat, in apertum ſeſe proferat: ac propterea pilus totus huius partis explicatione prolixior factus videtur. Quod ſi cui hæc reſponſio minus ſatisfacit, eo quod pili iis qui patibulo affixi ſunt, nonnunquam in ampliorem magnitudinem viſi ſunt excreſcere, quam poſſet intra cutem contineri. Dico ſecundo in pilis abſente anima remanere vim quandam ab illa impreſſam cuius miniſterio augentur; ſic in ſemine, quod pleriq́ue philoſophi inanimatũ eſſe ſtatuũt, vis illa animæ inſita vniuerſam corporis fabricam architectatur. Sic rami ab arbore auulſi, terræ implantati, aut trunco inſerti, & nutriuntur, & augentur. Sic in iis qui peſte extincti ſunt nonnunquam maculæ toto erumpunt corpore. Sic in aliis ſanguis, & Ichores, è naribus, aliiſq́ue partibus emergunt. Sic auulſo corde vociferata eſt victima. Sic Lacerti amputati cauda concutitur, ſic abſciſſo capite Gallus calcitrat, & muſca etiam multo poſt tempore volat, quin & Auerr. ſcribit ſe vidiſſe arietem qui truncato capite huc illuc motaretur: vt omittam quod de Cercida commemorat Ariſtoteles 3. de partibus Anima. cap. 10. Quod vero poſtremo loco ſubiicitur pro Durandi opinio

nione, abſurdum videri in pilo qui à vertice ad talum excurrit contineri animam rationalem: Id non magis abſurdum iudicari debet quam quod forma arboris per fibras, & radices, truncum, ramos, flores, & folia diffuſa eſt.

CAPVT XXIIII.

1 Explicatur plantarum & pilorum Analogia ratione loci in quo producuntur.

2 In vtrorúmque etiã exortu maxima eſt proportio.

3 Neque minor eſt in incremento, decremento: colorum, & aliarum qualitatum mutationibus.

CÆterum neque Durandi ſententia ſua caret probabilitate, potiſſimum vero ob maximam analogiam, & proportionem quæ eſt inter plantas terræ affixas, & pilos cuti implantatos, quam hunc in locum transferre neque erit iniucundum, neque extra rem noſtram. Ergo ſiue loco-

rum conditiones placeat inſpicere, in quibus & pili, & plantæ, oriuntur, ſiue horum ortus, incrementa, & decrementa, placeat contemplari, maxima in ſingulis occurret Analogia. Ac primo quod ad loci conditiones ſpectat: ſicut pro diuerſa ſoli diſpoſitione, plantæ variis modis afficiuntur; ita pro diuerſa cutis temperie, pili plurimum immutantur, vt non ſemel dictum eſt. Sicut plantæ neque in vdoſo, neque in arenoſo ſolo proueniunt, ſic pilus neque in ſicciore, neque in humidiore cute generatur. Plantæ, in pingui, & læto ſolo, luxuriant, ſeſeque latè diffundunt: Pilus in euchimo corpore, & ſucculento denſus & in magna copia erumpit. Plantæ in duriore ſolo difficulter naſcuntur, ſed poſtea quam in ipſa radices egerunt firmiùs adhæreſcunt; nec niſi maxima difficultate auelli poſſunt. In ſiccioribus quoque temperaturis pili difficilius ſuſcitantur (ſi immodica ſit huiuſmodi ſiccitas) ſuſcitati autem firmius radicantur, vt non niſi maxima violentia eximi poſſint. Sic Æthiopes, paruos, & vix vllius incrementi pilos præ nimia cutis ſiccitate effundunt; ſed vix vnquam calueſcunt: ſic palpebrarum pili, denſo & firmo thorulo implantati, pertinaciter adhærent,

rent, nec niſi maximi morbi violentia, aut venenati humoris acrimonia decidunt, vt in lue venerea, Elephantiaſi, &c.

2. Neque minor eſt illorum Analogia in exortu, vt enim plantarum aliquæ ex inſtituto ſerentis agricolæ ſuſcitantur, aliæ vero caſu & fortuito proueniunt, atque vt loquitur Poëta.

—iniuſſa vireſcunt

Gramina—

ita pilorum nonnulli ex inſtituto, & regimine naturæ producuntur, & ab eadem virtute quæ cæteras partes efformauit effingũtur, vt ſunt ij quos congenitos appellant: alij ex fortuito quodam cauſarum concurſu enaſcuntur. Atque ſicut eæ plantæ, quæ agricolæ ſtudio & ſatu ſe ſe extulerunt certo quodam ordine diſponuntur vt in hortis, vineis, pomariis conſpicitur, quæ vero ſponte è terra procedunt nullum ordinem inter ſe ſeruant, ſed pro varia ſoli & cœli conditione variè erumpunt: ita palpebrarum pili qui maximè ex naturæ inſtituto eſſe perhibentur certo ordine palpebris implantantur, eãdémque diſtantiam perpetuò obſeruant; Quin etiam ſicut terra quantumuis exſucca & arida agricolæ induſtria poteſt herbas ef-

fundere, niſi maligno aliquo vapore infeſtetur: ita & in firmiſſimo palpebrarum thorulo ipſa ſerente natura pili ſunt ſuſcitati; Atque ex his efficitur vt cum cæteri pili pro temperamẽtorum diuerſitate pauciores aut plures proueniant, hi in omnibus naturis & temperamentis eodem ordine & numero ſemper producantur.

3. Eadem quoque ſunt, & plantarum, & pilorum, incrementa, & decrementa, & colorum, aliarumque qualitatum mutationes. Plantæ vt primum è terra erumpunt, teneræ ſunt admodum, procedente tempore, in omnem dimenſionem excreſcunt & firmiores paulatim euadunt, ac multo vegetior in ipſis color effloreſcit, quam in primo exortu, atque per aliquot tempus in quodam ſtatu conſiſtentiæ permanent, donec natiuo calore decreſcente, primo vegetum illum colorem deponunt, tandemque ſucco defficiente areſcunt. Ac propterea qui herbarum cognitionem tradunt, docent eas in triplici ſtatu cognoſcendas eſſe, in primo exortu, in incremento, & decremento. Ita pili in ſuo exortu tenuiſſimi ſunt, & valdè imbecilles, procedente tempore firmiores & craſſiores euadunt, ſe ſeque in omnem ſitus diffe

differentiam promouent,& ſucco pleni, vegetumque calorem ſortiti vegetiorem etiam colorem oſtentant, quam in primis ortus ſui exordiis: vt autem naturalis calor tum pilorum proprius, tum earum partium quibus implantantur, remittitur, remittitur etiam & ipſorum color, & extenuantur ac tandem præ alimenti inopia contabeſcunt.

Atque vt plantarum mutationes oriuntur ex diuerſitate tempeſtatum, quas ſolis acceſſu & receſſu metimur, ita & pilorum mutationes contingunt, ex mutationibus caloris natiui, cuius fons & origo eſt Cor. Cordis autem & Solis quanta ſit analogia vel ex eo patet quod Sol, Cor mundi, & Cor ſol hominis viciſſim nũcupetur. Recte itaque Ariſtoteles cauſam cur Calui non repileſcant, ſicut arbores defrondatæ rurſus folia aſſumunt, eam eſſe docet, quod ætates non redeant ſicut tempora.

Præter natiui caloris deffectum; duabus aliis de cauſis contabeſcunt plantæ; nempe vel propter boni alimenti penuriam; aut propter vitioſi ſucci permiſtionem. Iiſdem etiam ex cauſis areſcunt & defluunt pili, ob deffectum quidem boni alimenti, Ethicis pilorum defluuium contingit, Et propter mali-

gni

gni vaporis admiſtionem defluunt in Alopecia, Ophiaſi, Area, Lue venerea, Elephantiaſi, & ſimilibus. Vnde docet Hippocrates in Aphoriſ. Vlcera illa peſſima eſſe quæ circum glabra ſunt quod denotetur malignorum humorum, in affectam partem decurſus qui pilorum alimentum corrumpunt. Ex hoc quoque intelliges quid cauſæ ſit cur doceant Hippocrates, & Ariſtoteles, Caluos repileſcere varicibus ſuperueniẽtibus: Si enim id aliquando contingat cauſa eſt quod maligni vapores qui pilorum alimentum depaſcebantur, apertis varicibus expurgantur; vnde natura ſublatis impedimẽtis ſibi ipſi reſtituta in priſtinam pilorum generationem incumbit. Simili modo videmus agros ſteriles, euadere fęcundos, ſi ipſorum nimia, & infenſa humiditas, aut excitatis ignibus abſumatur; aut per canales, & ductus aliò deriuetur.

Plantæ ſub continuis imbribus ſæpe perpalleſcunt quod nimia humiditas, ipſarum calorem obruat, ita vt Alimentum attractũ non poſſit excoqui: poſtea vero illis ceſſantibus; ſublatis impedimentis calor ſibi reſtitutus, ſuum alimentum perfectiùs excoquẽs priſtinum colorem plantæ reddit. Ita nonnun-

nunquam per morbos pilorum color remittitur,cum calor natiuus factus debilior ſuum munus rectè exequi non poteſt;ſublato vero morbo, Calor natiuus ſibi relictus, coctionē fœliciùs promouendo efficit vt priſtinus color in pilis effloreſcat: ac propterea rectè monet Ariſtoteles morbum poſſe dici aduentitiam quandam ſenectutem.

Plantarum aliquæ in primo exortu ſæpius attonſę magis luxuriant & firmiores euadūt: Ita & pili dum erumpunt ſæpius attonſi firmiores ſubnaſcuntur & in maiori copia proueniunt, atque vt in plantis amputandis, ſic & pilis abſcindendis certa Lunæ ratio habenda, nam pro vario illius aſpectu magis, aut minus, creſcunt & plantæ & pili. Plantarum aliquæ ſua folia quotannis deponunt: aliæ ſemper eadem retinēt; ſic & pili in quibuſdam animalibus quotannis decidui ſunt, in aliis nunquam defluunt. Plantarum folia non decidunt prius quam ſemen emiſſerint; ſic docet Ariſtoteles ante venereorū vſum homini nuſquam contingere capillorum caſum, qua de re tamen quid ſentiendum ſit examinabimus cum Caluiciei cauſas explorabimus.

Ex hac itaque Analogia licebit ita colligere

gere pro Durandi ſententia. Sicut plantæ animatæ ſunt: ita & pili; Et ſicut quælibet planta ſuam habet formam diſtinctam à quauis alia, ita & quilibet pilus ſuam habet propriam & peculiarem.

Capvt XXV.

1 Vt in materia, & forma: ita in cauſa efficiente pilorum aſsignanda non ſatis videtur aperta Gal. mens.

2 Facultas expultrix non poteſt eſſe cauſa efficiens totalis pilorum imo ne quidem præcipua.

3 Pilos fieri à vi procreatrice oſtenditur ex concinna ipſorum diſtributione, tum in eadem ſpecie, tum in diuerſis.

4 Elegans cornuũ Cerui deſcriptio.

5 Ex varia Phantaſiæ agitatione pili variè afficiuntur ex quo colligitur ipſos à virtute formatrice ſuſcitari.

QVi pilis vitam, vitaléſque functiones adimunt eóſque à radice duntaxat creſcere decernunt: ij non aliã ipſorum cauſam efficientem agnoſcunt, quam vir-

virtutem expultricem noxia, & inutilia, ex corpore exturbantem: cui alias velut adminiſtras facultates adiungunt, calorem ſcilicet eleuantem, & attenuantem corporis recrementa, meatuum anguſtiam in quibus fuligo illa aliquantulum deliteſcens pili formam aſſumat: Addunt & externum frigus materiam illam è corpore emiſſam indurantem,& quaſi ſigillātem. Huius opinionis author, aut ſaltem fautor pluribus in locis videtur Galenus ac potiſſimum ſecundo de Temp. & in arte parua vbi aſſerit pilos neque inſitas habere virtutes, neque ab influētibus gubernari: quamquam is acuratiùs rem examinans vndecimo de vſu part. duo pilorum genera diſtinguat; alterum eorum qui fortuito quodam cauſarum concurſu enaſcuntur; alterum eorum qui ex opificis prouidentia emergunt. Quocirca inquit duplex pilis eſt origo, quemadmodum herbis ac plātis: alia quidem à conditoris prouidentia, alia vero à loci natura; quandoquidem, agrum videre ſæpeeſt, cum triticum, aut hordeum adhuc quaſi herbæ quædam teneræ ac paruæ emergunt, iis eſſe refertum, ac prædium quoddam aliud, non aliter quam agrum dēſum & veræ herbæ plenum; verum hoc quidem

dem vapor innatus, aruum autem Agricolæ prouidentia referſit. Quod ſi qui ſint qui formam ſeminum nuper è terra natorum ab alia herba diſcernere nequeant: ſolus ordo enatorum indicare ipſam poteſt; ortus enim ipſorum æqualitas, tum externæ circumſcriptiones lineis ductæ, ſatis oſtendunt prædium artificio quodam ac prouidentia agricolæ fuiſſe denſatum. In ſpontaneis vero denſitatibus contra accidit; neque enim æqualis eſt prouentus; neque certis quibuſdam limitibus diſtinctus. Eius generis ſunt pili tum axillarum, tum aliorum membrorum, nullis certè lineis deſcripti quemadmodum ſunt qui in palpebris ſunt, ſuperciliis, ac capite, ſed inæquales habent terminos, nulloque ordine ſunt proiecti; quandoquidem è loci humore prouenerũt neque ipſius opificis ſunt opera. Quo fit vt calidis naturis ſint plurimi; frigidis autem nulli omnino aut pauciſſimi gignantur. Quorum autem opifex ipſe curam habet, quemadmodum arui agricola, ij in omnibus naturis inſunt, calidis, frigidis, humidis, ſiccis; niſi ſi quando prorſus ſupra modum fuerint intemperatæ, cuiuſmodi eſt petroſa atque arenoſa terra. Vides vt Galenus hoc loco in aliquot ſaltem

pilis

pilis cauſam efficientem aliquam agnoſcat perfectiorem,& ſublimiorẽ quam ſit facultas expultrix huius enim officium non eſt certo ordine, certa æquabilitate, certis lineis, obſeruatis, ſua recrementa deturbare, ſed qua data porta,& prout excrementorum pondere aggrauatur, aut acrimonia vellicatur ea deponit. Quin etiam neque huiuſce facultatis partes ſunt prouidere ne illa recrementa quæ extra corpus deturbat, vel diutius ipſi adhæreant,vel citius effluant. At vero quæcumque ſit pilorum cauſa effectrix, ea aliquorum durationi maximè conſultum eſſe voluit; aliorum vero tantam non habuit curam: quod ſequentibus verbis rectè expreſſit Galenus. *Ad eundem vtique modum* (inquit) *& AEthiopum capita paruos quidem, nulliúſque incrementi habent capillos, præ cutis ſiccitate; verum non facilè calueſcunt. Quæ omnia cum opifex prouideret, in palpebris quidem & ſuperciliis ſatius eſſe ratus exiguos quidem & nullius incrementi, verum ſtabiles pilos efficere, in cute dura,ac cartilaginoſa, radices eorum quaſi in lapidoſa quadam, atque argillacea terra fixit*; Sanè hæc omnia diuinioris ſunt facultatis opera quam virtutis expultricis; hæc enim per liberos,& patentes meatus ſua excrementa deturbat:

illa vero ſolidiores partes de induſtria peruadit, vt in illis pilus affixus diutius perſeueret. Itaque quid de cauſa efficiente pilorum ſentiendum ſit ſequentibus aſſertionibus demonſtrabo.

2. Prima aſſertio. Cauſa efficiens pilorum præcipua non poteſt eſſe facultas expultrix, probatur tum ex ſuperioribus, tum ex eo quod facultas expultrix, poſito obiecto, & omnibus conditionibus ad agendum neceſſariis, neceſſariò operatur, ſicut ignis poſito ligno, in debita diſtantia, & conuenienter diſpoſito, neceſſario in ipſum agit, eique formam ignis imprimit. Atqui poſita pilorum materia; diductis, & apertis meatibus integra permanente ipſa facultate qua pilus augeſcit, nulla de nouo ad radicem pili propellitur materia, vt manifeſtè patet ex ſuperioribus. Ergo pili aliquam aliam agnoſcunt cauſam efficientem quam facultatem expultricem.

Secundò idem demonſtratur quia facultas expultrix quæ ſuperflua è corpore eiicit ſingulis partibus eſt inſita. Atqui certum eſt ſingulas corporis partes, pilos non effundere, neque in iis quæ emittunt æqualem pilorum fieri prouentum: Ergo non fiunt à facul-

cultate expultrice. Dices id contingere ob diuerſam, in diuerſis partibus cutis temperiem, raritatem, denſitatem: craſſitiem, tenuitatem. Cur igitur (inquam) in fronte nulli erumpunt pili? An fortè quia Panniculus carnoſus ipſi ſubſternitur? At docet D. Auguſtinus 14. de Ciuit. Dei cap. 24. quoſdam eſſe qui totam Cæſariem capite immoto quantum capilli occupant deponunt ad frõtem, reuocántque cum volunt, quod alia ratione fieri non poteſt, niſi quia panniculus ille carnoſus toti pericranio ſubſternitur, huius enim vnius ope cutem frõtis diducimus, & contrahimus immoto capite, ſicuti & alia animalia permulta vniuerſam cutem illius panniculi beneficio corrugant. An denſitatẽ cauſaberis? at copioſus ſudor è fronte erumpens fidem facit conuenientis raritatis quæ in illius cute ineſt. An quod hæc tenuior ſit ea quæ ſuperiorem partem capitis integit, at qui vt hoc detur, eſt tamen multò craſſior ea quæ Cordi, & hipocõdriis ſuperpoſita eſt. Itaque deffectus pilorum in fronte non alia ex cauſa procedit quam ex ordinatione virtutis formatricis quæ vt hominis maieſtati conſuleret voluit hanc partem depilem eſſe. Et ſanè Galenus non aliam huius euentus

cauſam quam à fine deſumit. Cur autem (inquit) frons quoque pilos non habeat, quomodo & caput totum, dicendum eſt deinceps. Tegitur ſiquidem certè & frons à pilis capitis quantum volumus, vt ea certè ratione pilis propriis ipſi non ſit opus. Quod ſi pilos produxiſſet tondere ipſos aſſiduè nobis fuiſſet neceſſe; quod ipſi oculis incumberẽt. Porrò tum alibi, tum etiam in inſtrumentis alimento dicatis demonſtrauimus naturam magna cura prouidiſſe ne corpus, homini negotium ſubinde faceſſeret; néve illum ſibi ipſi neceſſariò ſeruiendo inſtar mãcipij ſemper haberet addictum. Conueniebat enim (opinor) animali ſapienti, ac ciuili, corporis curam habere mediocrem; non quomodo nunc vulgo homines ſolent, amico quopiam illorum operam implorante ſubterfugere: ſibi ipſis negotium eſſe excuſantes. Poſt autem aliquo ſecedentes picantur, ac comunntur, vitamque omnem in cultu corporis non neceſſariò conſumunt: prorſus an corpore quippiam habeant præſtantius ignorantes. Sanè cum virtus expultrix non aliud intendat quam noxia è corpore exturbare neque eius ſint partes prouidere quid cõmodi vna pars ab alia excipiat, vel ne homo ſuo corpori

ri mancipetur diuiniori cauſæ pilorum ex ortus debebitur & eorundem diſtributio.

3. Secunda Aſſertio præcipua cauſa efficiẽs pilorum eſt virtus procreatrix: probatur primo quia virtutis procreatricis duæ ſunt partes immutatrix, & conformatrix: illa cuiúſque ſubſtantiam ex ſemine producit, hæc figuram, ſitum, aptámque ſingularum coordinationem confert. Atqui hæc duo officia in pilorum ſtructura exercentur: ac de primo quidem nulla eſt controuerſia niſi forte opponas poſtgenitos pilos qui pluribus à natiuitate annis erumpunt, ex ſemine fieri non poſſe, ac propterea ipſos non eſſe immutatricis opus: ſed eadem ratione efficies, neque ipſos dẽtes fieri à virtute procreatrice. Quod vero ad ſecundum ſpectat: ſanè nemo eſt qui naturæ ſolertiã deſiderare poſſit in apta pilorum ſtructura, quam ſupra deſcripſimus, neque in conuenienti ipſorum diſpoſitione, ſiue eos in diuerſis partibus eiuſdem corporis ſiue in diuerſis animalium ſpeciebus placeat contemplari. Etenim quam concinna eſt, & elegans pilorum tum capitis, tùm barbæ, ordinatio, quantum decoris addit & frõti & capiti vniuerſo apta ipſorum diſtributio: diceres ſacram illam Palladis arcem in

biſidum ſe ſe culmẽ attollere, nam ſemicirculus qui è vertice in frontem excurrit, duos habet ad radices ſemicirculos qui ex inferioribus ad ſuperiora attolluntur: ita vt bifidi illius Parnaſſi imaginem in fronte habeas. Quid ſi veteres poëtæ Parnaſſi ſui bicipitis nomine frontem deſignarint? eſt ſanè hic locus muſis & Apollini ſacer. De apta ciliorum & ſuperciliorum ordinatione non eſt quod hoc loco ediſſeram ſiquidem in eleganti ipſorum diſtributione, ſitu, implantatione, incuruatione, nemo non miratur ſagacis naturæ induſtriam. Quod ſi eandem naturam variè in variis animalibus, & pro cuiuſque conditione, pilos diſtribuentem attentiùs meditere: Dices huiuſmodi diſtributionem à virtute formatrice fieri & non ab expultrice ſola. Quædam ſunt igitur animalia, quæ nullos in ciliis pilos emittunt, vt lepores; quædam in ſuperiori dumtaxat palpebra: vnicus homo in vtraque pilos gerit; idem homo neque in internis manuum, neque in plantis pedum pilos habet; lepori, tum in his partibus, tum in bucca pili exoriuntur. In bouum caudis tenor longus, pili breues equis contra pili longiſſimi ex breui tenore excurrunt, Vrſus toto corpore longos gerit villos

villos, & caudam breuem: cætera vero animalia quibus non adeo longi villi emittuntur per corpus, prolixiorem gerunt caudam. Homo in anterioribus partibus ſæpius hirſutus euadit, poſterioribus omnino depilis eſt, Bruta contra è dorſo longos & copioſos: ex oppoſitis partibus breues, & paucos emittunt quorũ cauſam inferius reddemus. Ergo cum in diuerſis ſpeciebus animalium diuerſa ſit pilorum ordinatio, debet ea fieri ab aliqua virtute ſpecifica, & propria, Atqui virtus expultrix, in omnibus animalibus eſt eiuſdem ſpeciei:ergo.

4. Secundo ita probatur Aſſertio. Eadem eſt ratio pilorum & cornuum vt ſupra demonſtratum eſt, tum ratione materiæ, tum ratione formæ. Ergo erit eadem cauſa efficiens, Atqui certum eſt cornua à virtute formatrice elaborari, ſiquidem in vitulo, cum corpore reliquo pariter adoleſcunt illa, certa quadam dimenſione, figura, colore, intus in cuſpide variè camerata, cameris ipſis proportione ſeruata intro augeſcentibus. Manifeſtiùs etiam apta illorum efformatio in Ceruis conſpicitur, quod vel ex ipſo loquendi modo apparet, quem venatores Galli in his deſcribendis vſurpant. Etenim exuuias illas

illas anniuerſarias quibus orbati latent Cerui quaſi honore, atque inſigni amiſſo, non cornua ſed caput appellant. Cranij partes è quibus cornua enaſcuntur, molas vocant: ſtipitem corneum è molis erumpentem, materiem, & cornuum ſedimentum nuncupant: tum tabulata ipſa fruticantia è molis cõcinnè in ramos eſſe expanſa; ſcapos è caudice proportione enatos; è ſcapis porrò cornicula educta, in mucrones congruè deſinere, non contractiora ipſa quam iuſtum eſt, non diffuſiora, non abſurdè confornicata: tum probè clauatum eſſe caput, & congruenter patulum, & æquabili fruticatu decorum. Denique cum Ceruum egregium, & elegantem ſignificare volunt, ſic loquntur capite præditus eſt commodè nato, compactili, concinno, rectè, ordine, decenter conſtituto, materiam ipſam caudicis pulchrè ſulcatam eſſe, atque inter ſulcos ſtriáſve (quas quaſi colliquias appellant, atque ſtillicidia) ſcabriciem eminere æquabiliter vnionatam. Sanè qui diligentiùs hoc ludentis naturæ artificium contemplabitur, non aliam efficientem cauſam illius agnoſcet quam virtutem formatricem.

5. Tertio certum eſt ex varia Phantaſiæ agitatio-

tatione varias cõtingere mutationes in pilis, celebris eſt hiſtoria de Iacob qui baculos, diuerſi coloris, ouibus prægnantibus obiecit vt agnos variegatos eniterentur, ſic mulier ex frequenti Æthiopis inſpectione, Æthiopem enixa eſt; ſic vulpes, perdices Cerui; aliaque animalia, in montibus niue obductis, alba ſæpius euadunt, ex frequenti niuis obiectu: ſic Pauo ouis incubans, linteis albis circuntectus, albos omnino pullos, non gemmantis coloris edit; ſic & Gallina colore varios emittit, ſi variè picta oua foueat: ſic & aliam mulierem; fœtum piloſum, vnguibúſque vrſinis emiſiſſe ferunt, quia oppoſitus paries vrſum habebat depictum, quæ omnia à virtute formatrice per phantaſiam matris deprauata fieri nemo in dubium reuocat, ſiquidem in ſemine ante aduentum animæ, ſola virtus procreatrix operatur. Ad hunc quoque locum ſpectat, non iniucunda hiſtoria quam habet Schenckius lib. 1. obſeruat. medic. 4. Ante biennium (inquit) cum fortè prætereuntem ruſticum Siluicolam, noſtratem, annos paulo ſupra 30. natum, robuſtum, floridæ, & viuidæ faciei conſpicatus fueram, paſſimque canos glomos ex reliqua ſubrufa barba emicare animaduerterem:

hominem ſubitò alloquebar, & quænam iſt-
hæc in iuuenili,& bene habito corpore inca-
na barbitij capillorum cauſa foret perquire-
bam: ſubridens ille ait à multis idem à ſe ex-
petitum,ſeriò verò rem vrgenti, ſanctè mihi
affirmauit,matrē cum vtero geſtaretur ipſe,
ædium in vicinia, ignis conflagratione adeo
perterrefactam, vt non ita multo poſt, ſe fi-
lium, fœlici alias partū, & circa mentum al-
biſſimis maculis notatum, in lucem proge-
nuerit: vnde factum eſt vt iiſdem maculis,
nulla arte emendabilibus ad annos puberta-
tis vſque conſpiceretur, pubeſcente tandem
mento, vna cum barba etiam Canos huiuſ-
modi capillorum glomos, non niſi ex albis
punctis, cætera ruffos ſuccreuiſſe: ſic vt gra-
uidæ duo in fœtu effectus contrarij mani-
feſtò ſe ſe protuliſſe videri queant; hinc ignis
conſpectu rufforum: illinc metu perculſam,
canorum auctores fuiſſe. Illud proinde ad-
mirationem, & inquiſitionem omnem vin-
cit, qui matris in fœtum vis, tanto tempore,
quo ad pubertatis vſque annos potuit deli-
teſcere atque otiari interea, tandemque ſe
proferre quiuerit. Hæc Schen.

Certè euentus ille ſicuti admiratione non
caret; ita apertè demonſtrat pilos nō ab alia,
quam

quam à facultate formatrice ſuſcitari; huius enim vnius proprium eſt, certis temporibus feriari & deliteſcere: poſtea vero ſuo aduẽtante tempore; quaſi à ſomno ſuſcitata manum operi admouet, quod non alteri ex naturalibus facultatibus videtur conceſſum: vt vel ipſa experientia manifeſtè conuincitur: ac propterea Galenus vim illam formatricẽ, diuinam ſæpius appellat; huiuſque opus, opus eſſe non aberrantis intelligentię docet. Aliquando animam mundi vocat, omnipotentem, nihil non ſcientem: nonnunquam naturam, aliàs vegetabilem in ſemine animam nominat, ſæpe calidum innatum, quin etiam huiuſce facultatis cognitionem homini non eſſe tentandam admonet, quaſi dicere vellet, ſcrutatorem maieſtatis obrui à gloria.

Hæc igitur facultas ſæpe numero à Phantaſia aliiſve de cauſis nobis incognitis modificatur, ſiue determinatur, vt hoc vel illo modo operetur, eamque modificationem retido operetur, eamque modificationem retinet quouſque ſe prodat, vt patet tum in ſuperiori hiſtoria: tum quod videamus frequenter pueros, non patris, ſed aui, aut etiam abaui, aut tritaui, ſimilitudinem referre. Sic Helidem quæ cum Æthiope concubuerat legi-

legimus non filiam Æthiopem genuiſſe; ſed natum ex filia Æthiopem fuiſſe : & Nyceus poëta Byſantius à candidis parentibus genitus, in auum Æthiopem degenerauit; quorum euentuum cauſam, doctè & eleganter expreſſit D. Laurentius. Creduntur autem extendi ſpecies illæ maiorum, ad progenies quatuor; vnde nec vlteriùs conſanguinitatis gradus numerantur.

Addi poſſent in huius aſſertionis confirmationem ea argumenta quibus ſupra confecimus pilos congenitos ex ſeminali materia conſtare: vna enim aſſertio, per alteram poteſt demonſtrari. Sed & poſtremo loco illud admonendum videtur, quamuis facultas procreatrix ſit principalis cauſa efficiens pilorum, non tamen reiiciendas eſſe eas quas initio huius capitis attulimus, ſed velut adminiſtras illi adiungendas eſſe : ac potiſſimum ſubiectarum partium calorem; ſiquidem Galenus in arte parua alibiq́ue paſſim ex hirſutie Thoracis, Hipochondriorum, Iliorum & partium generationi deſtinatarũ ſubiectorum membrorum caliditatem argui, non ſemel demonſtrat: ſicut ex glabritie frigiditatem.

CAPVT XXVI.

1 Tres potiſſimum aſſignantur pilorum vſus, primus ad Tegumentum, hoc autem neceſſarium eſt vel vt pudori partis conſulatur, vel vt ea deffendatur.

2 Alter eſt ad ornamẽtũ. Caput hominis quia rationalis animæ domiciliũ præcipuum, hoc ornamentum maximè obtinuit, arguitur ſtudium comæ affectandæ.

3 Tertius ad haurienda ſuperflua, tum in quantitate, tum in qualitate, ex ſubiectis partibus.

4 De aliquot aliis pilorum vſibus.

TRes potiſſimum inuenio apud celebres authores pilorum vſus, primus eſt ad tegumentum partium, ſecundus ad ornamentum, tertius ad ebibendas, & exhauriendas, ex toto corpore fuligines. De his vſibus hoc loco diſſerendum. Itaque quod ad primum attinet Tegumentum duplici de cauſa partibus debetur, tum vt earum pudori conſulatur, tum vt

vt illæ ab externis iniuriis deffendantur, Ergo verecunda natura & nates ano, & pręputium pudendo, & copioſos pilos partibus generationi deſtinatis circumpoſuit. Iam verò ſicut folia arborum, fructus ab externis iniuriis deffendunt; ita pili eas partes quibus implantati ſunt fouent, & tutantur: qua in re occurrunt plurima non ſine admiratione excipienda, quęque ſummi opificis ſingularem prouidentiam manifeſtant.

Ac primò cum caput hominis eminentiſſimo totius corporis loco inſideat, primúmque externas iniurias ex ſuperioribus partibus irruentes excipiat; ideo copioſis, prolixis, denſiſque pilis illud armauit natura: Bruta vero quæ prona ſunt, & ad terram incuruata, cum dorſo externas illas iniurias excipiant, in eo quoque copioſiores, & prolixiores, atque adeo firmiores pilos obtinuerunt. Quoniam autem neque homini, neque bruto, ſemper idem tegumentum competit: ideo in homine ſic efformati ſunt pili, vt & prolixiores abſque noxa amputentur; & breuiores in conuenientem magnitudinem facilè aſſurgant; in brutis vero fecit natura pilos deciduos, vt per æſtus, hos quaſi ſarcinam, & veterem tunicam, exuerent; & neceſ-

ceſſitatis tempore renaſcerentur: quoniam vero etiam ornamento ſunt pili; vt brutorum decori conſuleret noluit eos ſimul omnes eſſe deciduos; neque veteres prius decidere ſtatuit, quam noui aliquot aduentarent. Quin etiam cum virum dedeceret velata facie mulierum inſtar in apertum prodire idcirco tegumentum ex pilis virili faciei apparauit: cum tamen (vt initio oſtenſum eſt) deceret faciem virilem ex parte apertam eſſe, nec brutorum inſtar vndique pilis obſitam: neque in his partibus quæ glabræ ſunt voluit natura ſuam deſiderari prouidentiam. Oculi ſiquidem multo & copioſo adipe veſtiuntur: nares vero, & malæ, calida exſuflatione è capite emiſſa fouentur, & caleſcunt: fronti denique vt cõſuleret fecit vicinos pilos ductiles, vt vrgente neceſſitate ad illam demitterentur, poſtea vero ſurſum pro arbitrio noſtro attollerentur ſicque & neceſſitati, & ornamento, ſatis illa fecit, frons enim aperta multum decoris addit capiti vniuerſo, Et vero præter eas rationes quas ſupra commemorauimus decebat eam partem nudam eſſe, & apertam quæ triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, & ſeueritatis eſt index. Quantum autem valeant pili ad

arcendas aëris iniurias, experiuntur Caluis qui cum iis denudati ſunt, vel minimas aëris mutationes ſentiunt, varieque ab ipſis afficiuntur; ac propterea hunc naturæ deffectũ arte ſupplent, galericium ſibi apparantes, ſimiliter & canes illi omnino depiles, qui ex India nuper aduecti ſunt, hieme perpetuo rigem niſi foco, à quo vel baculo vix dimoueri poſſunt incaleſcant, cum tamen ipſorum cutis calidiſſima tactu deprehendatur, ſi ſolas pedum, & aurium extrema excipias. Permulta quoque animalia dum vel pilos, vel pennas deponunt, in latibulis degunt neque aëri ſe exponunt, quod ſua veſte & tegumento naturali exuta aëris iniurias perſentiant.

2. Quod verò ad ſecundum vſum attinet, nempe ad ornamentum: ſanè vt folia non tãtum ad tutelam fructuum, ſed ad ipſius quoque arboris decorem effičta videntur; ita pili non ad tegumentum tantum corporis, ſed ad eiuſdem quoque ornamentum, producti ſunt: Atque cum diuerſis, diuerſum competat ornamentum; hoc vnum omnium conditioni ſe ſe accõmodat. *Coma* (inquit B. Ambroſius in Hexamero lib. 6. *in ſenibus reuerenda, in ſacerdotibus veneranda, in bellatoribus terribilis, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus,*

bus, dulcis in pueris: Similiter Lycurgus Spartanis prolixos pilos gerere ſuadebat, quod Coma, & formoſis addat decorem, & deformes hoſtibus reddat terribiliores: atq; vt ſubdit Nicander ornatus hic cum ſit omnium pulcherrimus nullo omninò conſtat impendio. Itaque non ad tegumentum tantùm; Sed ornamenti quoque gratia, Caput copioſis, denſis, & longis, pilis donatum eſt: Et verò decebat nobiliſſimã illam Palladis arcem, cœlo proximam, eminentiſſimo corporis loco ſitam, cogitationũ, & rationis præcipuum domicilium, magnas membrorum moles agitantem; aliquo peculiari ornamento inſigniri; vt veluti tacita quadã naturæ voce admoneremur, eam animæ partem maximè excolendam eſſe, cuius domicilium, & organum proprijs ornamentis voluit illa inſignire. Sic referũt nonnulli, Hippocratis imagines pilei vmbraculo contectas fuiſſe, vt ſignificaretur maximè cuſtodiendam eſſe partem illam, in qua tanquam domicilio princeps animus reſidet, & intelligendi pontificium poſitum eſt. Plato quoque in Timæo caput non tantum præcipuam hominis partem, ſed totum hominem eſſe decernit, ſtatuitque cæteras partes ad illud tanquam ad finem ordinari, vt

ſanguinem ſpiritus, calorem, cæteraque huiuſmodi vitæ præſidia ſubminiſtrarent. Quæ ex capitis dignitate conſuetudo illa emanauit, vt principibus viris & aliqua virtute inſignibus caput aperiamus; congruentiſſimum enim eſt, diuiniſſimo in nobis membro, diuinitùs eniteſcentem in aliquo preſtantiam, reuerenter & religioſa quadam obſeruantia excipere. Et forte religioſi illi viri, quorum conuerſatio in cœlis eſt, vt ſe maiori cum reuerentia coram Deo ſiſtant, etiã naturale illud pilorum tegumentum, & ornamentum, è capite, Leuitarum inſtar, deponunt. Eſt ſanè prolixior coma apud pleraſque omnes gentes, libertatis & nobilitatis ſymbolum, quod etiam à primis illis Galliarũ regibus vſurpatũ fuiſſe Hiſtoricorum monumentis teſtatum eſt: contra autem eadem abraſa ſeruitutem deſignat, ſicut noſtris quoque temporibus factitari obſeruamus, qui enim ad remiges dãnati ſunt, ijs pili toto capite abraduntur, vt hoc velut ſymbolo intelligant, ſe eam libertatem quam natura omnibus communem fecerat vnà cum pilis deponere: quem morem etiã in ſacris paginis expreſſum reperio Pſal. 67. ver. 22. vbi enim vulgata lectio ita habet *verumtamen Deus confringet capita inimicorum*

ſuorum

ſuorum verticem capilli perambulantium in deli-ctis ſuis. Sic vertit Chaldę⁹ Parap. *Euellet capillos viri ambulantis in flagitiis ſuis*. Quibus verbis, vt annotat Lorinus in hũc locum, innuitur turpis decaluatio; quæ dolorem continet, atque ſeruitutis ignominiam. In Eccleſiaſticis quoque annalibus proditum eſt veteres illos Tyrannos, ad illam tormentorum ſæuitiam quam in Chriſtianos exercebant hanc etiam ignominiam adieciſſe vt Chriſtianas virgines in deriſum & opprobrium tonderẽt. Quod ſi mihi fas eſt ſecretiora illa & abdita Theologiæ adita ingredi, ideo Chriſtum Dominum, crucem ſuam in Caluaria fixiſſe interpretarer, vt Caluariam noſtram quã peccatum fædè depilauerat perpetuóque ſeruitutis iugo addixerat, intonſus ille Nazarenus auguſta ſua Cæſarie tegeret & exornaret; atque in veram & Chriſtianam libertatem aſſereret. Sed quid pluribus opus eſt vt oſtendam pilos ad ornamentum corporis eſſe inſtitutos, cur id inquam demonſtrare enitor, quod vel ipſis mulierculis pluſquam ſatis notum eſt; norunt profectò illæ hunc pilorum vſum; imo & hoc vſu abuti iam ipſis conceſſiſſe videtur vſus: etenim tam eleganter ipſos concinnant, tantúmque fuci ipſis faciunt, vt

Gorgonei ad inſtar capitis, ſpectantes in ſaxa conuertant; aut potius à virili illa maieſtate & eminentia ad miſeram brutorum cõditionem dejiciant; quam Metamorphoſin veteres illi Poëtæ in Actæone expreſſerunt. Quin etiam vano illi affectandæ comæ ſtudio tam pertinaciter addictę ſunt, vt ſcribat Galenus nonnullas in lethales morbos incidiſſe, ex frequenti inunctione eorum Pharmacorum quæ vt capillis aliquid decoris poterant conciliare, ita cerebro admodum erant infenſa. Et quod maiori commiſeratione dignum eſt, ſtultum illud ſtudium ad viros etiam deriuauit, ſi tamen viri illi ſunt, qui ad effæminatam molliciem ſe transferunt, Gnidioque Gygi ſunt ſimiles

Quem ſi puellarum inſereres choro
Mirè ſagaces falleret hoſpites,
Diſcrimen ambiguum ſolutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

Digna vox Philippo: Is cum ex Antipatris amicis quendam adlegiſſet iudicem moxque aduertiſſet ab illo barbam infici & capillum, è veſtigio amouit hominem addito elogio *Qui in pilis infidus eſt qualem in negotijs remur futurum.*

3. Tertium pilorum vſum hunc agnoſcit Gale-

Galenus vt amarum ſuccum, & aduſtam fuliginem è corpore exhauriant: Sicut enim Agricolæ triticeã ſegetem ſicla, & lupinis, alijſque herbis amaris circundant vt amariore ſucco è terra extracto dulcius pabulum ſegetibus relinquatur: contra autem Rapæ cum dulcius alimentum è terra exhauriunt, ſegetibus impurius ſubminiſtratur, vnde illæ amarulentiores euadunt. Ita dum pili ex ſubiectis partibus aduſtam fuliginem, & amaram prolectant, illarum alimentum depurant. Cæterum vt iam monuimus, non ſolum inutilia excremẽta, ſed etiam ea quæ ſola quantitate ſuperflua ſunt, in pilorũ generationem, nutritionem, & augmentum, abſumuntur: ac præ reliquis pili capitis vniuerſam materiam adipoſam è cerebro euocant, ne forte illa in capite deliteſcens meatus occluderet per quos excremẽtorum fuligines ſunt emittendæ; cuius rei argumentum eſt, quod capilli in pleriſque lento, & adipoſo humore madeant, quo pileum, cæteráque tegumẽta inficiunt. Addo etiam in huius rei confirmationem Lepores (qui vt ait Plinius omnium animalium villoſiſſimi ſunt) vix vnquam adipe veſtiri; quod huius materia, vel in pilorum generationem, vel in ſemen, quo etiam ma-

ximè abundant transferatur.

4 Præter hos vſus qui communiter, feréque omnibus pilis conueniunt alij ſunt particulares &proprij aliquorum pilorum: Etenim pili ciliorum & ſuperciliorum nõ parum ad viſum conferunt,vt initio huius operis demonſtrauimus. Sed & apud vulgus, quædam inualuit opinio,hosce pilos ad claudendam pupillam, & carpendum ſomnum conducere, adeo vt ſi cuipiam euellantur,is inſomnes noctes agat quouſque noui eruperint; verum inanis eſt fabula, vt enim hoc detur auulſis illis pilis moleſtas contingere vigilias, harum tamen cauſa in pilorum deffectum minimè referenda, ea potiùs aſſignanda videtur, quia dum oculos claudere nituntur laceratas partes confricant vnde dolor & ex dolore ſomni interruptio.

Proprium quoque & peculiarẽ vſum habẽt pili qui leporum pedibus ſuppoſiti ſunt, eos enim deffendunt ne ex veloci & frequenti curſu, quod ſolum vitæ præſidium habent, atterantur;ſicut videmus in canibus qui ipſos in locis petroſis inſequntur, pedes ſæpe numero atteri & contundi, ita vt per aliquot dies, expeditos ad curſum non habeant. Sic etiam

etiam equi, multáque alia animalia copioſos ad caudam pilos gerunt, vt frequenti agitatione infeſtantes muſcas abigant, & ſtrigmẽta cutis excutiant: Quibus vero breuior cauda eſt; ea aut toto corpore longiores villos gerunt, aut aliquo alio ingenio muſcas & alia ſimilia excutiunt: Sic Camelus cum præaltum gibbum habeat ad quod cauda peruenire non poteſt, longos & copioſos villos in illo effundit: Elephantes vero quia neque cauda, neque longioribus villis donati ſunt, Cutem corrugantes, muſcas ſi moleſtę ſint comprimunt. *Duriſſimum* (inquit Plinius) *Elephantis dorſo tergus, ventres molles, ſetarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem præſidium abigendo tædio muſcarum; Sed cancellata cutis, & inuitans id genus animalium odore; Ergo cum extenti recepere examina, arctatis in rugas repente cancellis, comprehenſas enecant. Hoc ijs pro cauda, pro Iuba, pro villo eſt.* Habes hic optime lector præclarum argumentum, quo animus ad admirandam & amandam ſummi conditoris prouidentiam maximè excitetur. Etenim ſi de brutorum conſeruatione adeo fuit ſollicita, vt vel muſcarum tædio abigendo, tam conuenientia præſidia donauerit; quanta cura homini pro-

uidiſſe iudicandum eſt, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam efformauit. Illam ſi quis non admiretur & admirando non amet & veneretur, hunc ego admirationis: imo & rationis incapacem pronunciabo.

CAPVT XXVII.

1 Colorum contemplatio maximè ardua, non videtur colorum diuerſitas in temperamenti diuerſitatem referenda.

2 Iiſdem ex cauſis colorum mutationes, & in pilis, & in plantis contingunt.

3 Pro ſucci alimentitij copia, colorum mutationes in plantis eueniunt.

4 Pro eiuſdem ſucci coctione aut cruditate, accidit eorundem mutatio, quædam ipſarum partes per modum tincturæ ab alijs aſſumunt colorem.

5 Externus quoque aër immutandis plantarum coloribus plurimũ poteſt.

Pilorum cauſas, tum internas, tum externas, hactenus ſumus proſequti; proximum eſt vt ad ipſorũ affectus, & qua

& qualitates accedamus,inter quas primo loco ſeſe offert colorum cõtemplatio: qua quidem nihil in tota hac diſquiſitione intricatũ magis, aut difficile occurrit; Etenim tam varijs, ac diuerſis coloribus imbuti ſunt pili, vt non parum difficile ſit huiuſce varietatis cauſas rectè aſſignare, neque enim tantum in diuerſis hominibus pili varij coloris conſpiciuntur, Sed vnus & idem homo diuerſos, tum in diuerſis, tum in ijſdem partibus emittit: quin imo vnus & idem Pilus per diuerſas ætates, varias, & multiplices ſubit mutationes;ſiquidem ij quibus temperatum eſt cerebrum, pilos à primò ætatis ingreſſu ſubrufos habent (vt inquit Galenus cap.15. Artis paruæ,) cum verò pueri ſunt ſubflauos,cum iam adoleuerunt flauos gerunt; poſtea vero nigri, ac tandem Cani euadunt, ſed & vno eodemque tempore, varius & multiplex color, in eodem pilo apparet; nam radix pili alba, cuſpis ſubrufa; quod inter vtrumque mediũ eſt, nigrum ſæpe apparet: Accedit quod ipſa colorum conſideratio in ſe ſpectata, maximè eſt ardua, cum enim plerique omnes Philoſophi diuerſos colores, à diuerſa temperie diuerſaque Elementorum permiſtione fieri decernant: quis color ab hac temperie, quis

ab illa emanet,aut non determinant, aut non ſatis bené determinant; ſiquidem vnus & idem color variis mixtis cōpetit, quæ diuerſam imo & omninò contrariam temperiem nacta ſunt, & è contra diuerſi & multiplices colores in eodem corpore viſuntur, in quo nulla temperiej diuerſitas poteſt internoſci, ac primum quidem oſtenditur in albedine quæ niui frigidæ, humidæ: Calci calidæ & ſiccæ: marmori ſicco: Lacti humido;ſaccharo temperato, ſali & alijs huiuſmodi competit, quorum temperies omninò diuerſa eſt:& contra in Iaſpide,,non apparet magna partiū diſcraſia; cum tamen varij & diuerſi colores in ipſo conſpiciantur. Quin etiam ſi ex ſola temperiè colores ſuſcitarentur; ſanè poſita maiori temperamētorum affinitate inter aliqua duo corpora; maior quoque colorum affinitas;ſicut ex maiori illorum diſconueniētia, horum quoque maior diuerſitas ſequeretur: At contrarium docet experiētia; certum eſt enim inter equum album, & equum nigrum maiorem eſſe temperamentorum affinitatem; quam inter equum nigrū & canem nigrum. Itaque non malè quiſpiam affirmauit,tam difficile eſſe intellectui colorum cauſas complecti, quam facile eſt oculis ipſos diſtinguere.

2 Sed præſtabit fortaſſe, aliquid in hac etiam parte audere; quam rei difficultatem & inſcitiam dumtaxat noſtram prædicare. Dicebamus ſupra, id plantis & pilis commune eſſe vt pro temporum diuerſitate diuerſos aſſumerent colores, alius enim color in primo exortu, alius in incremẽto, alius in ſtatu conſiſtentiæ, alius denique in decremento ipſis cõpetit. Addo iam illas mutationes, cauſas habere cõmunes & Analogas, vt docet Ariſtoteles lib. de color cap. 5. ſtatim initio, quare è re noſtra erit multumque lucis huic quæſtioni inuehet contemplatio cauſarum ob quas diuerſitas colorum in plantis contingit. Ergo Ariſtoteles loco citato varias huius mutationis cauſas commemorat, quas ad duo capita reuoco, ad externas ſcilicet, & internas; ſub internis ſuccorum abundãtiam complector, & eorundem coctionem vel cruditatem; ſub externis, varias aëris ambientis qualitates, tũ quas à ſua natura obtinet, tum quas ex ſuperioribus corporibus excipit, quibus variè in plantas agens varias diſpoſitiones ipſis imprimit ex quibus diuerſus color conſequitur.

3 Imprimis igitur pro ſuccorum abundantia aut deffectu mutationes colorum plãtis con-

tingere docent & Ariſtoteles,& experientia; plantæ enim in ſuo exortu, & incremento ſucco plenæ; hilarem, & vegetum colorem exhibent, vt eo tempore ridere & geſtire videantur dum vero minui incipit earum ſuccus alimentitius, hilaris quoque ille color paulatim remittitur donec tandem illo deffi-ciente plantæ areſcentes perpalleſcant. Ex quo fit vt illæ quæ debiliorem obtinent na-tiuum colorem, cito albeſcant, quia conue-nientem ſuccum prolectare non poſſunt. Sic & roſæ rubræ vapore ſulfuris ſuffumigatæ pallidæ euadunt quod earum ſuccus à ca-lido vapore ſit exhauſtus.

4 Pro varia autem coctione, aut cruditate ſuccorum illorum,diuerſos induci plantis co-lores, tam certum eſt, vt alia probatione non indigeat, cum etiam vulgus ex variis planta-rum coloribus maturitatem, aut cruditatem arguat; vt videre eſt in ſegetibus & fructibus omnibus,alius enim eſt color pomi auſteri,& quòd perfectam maturitatem nondum fuit aſſequtum, alius dulcis & bene maturi.

Addit Ariſtoteles quaſdam plantarum partes, quaſi per modum tincturæ, ab aliis partibus colorem aſſumere. Fructus enim plerique omnes in primo exortu vireſcunt

quod

quod herbaceum illum, & viridem ſuccum à ſubiectis partibus excipiant; quin etiam & fructuum & florum color, odor, ſapor, aliæque qualitates immutantur ſi trūcus aduentitium aliquem liquorem exceptum eas in partes tranſmittat: ſic experimur vuas, Ariſtholociæ saporē referre, ſi hæc viti circumuoluatur, & adhæreat, vnde etiam nomen accepit & tormētum vinearum nuncupatur: Similiter palmites vitis, per truncum nucis iuglandis recentioris acti, racemos effundūt quorum ſuccus oleaginoſum lentorem nanciſcitur, vt etiam flammam poſſit concipere.
5 Quod autem ab aere externo colorum mutatio plantis accidat id fidem facit, quia plantæ eiuſdē ſpeciei, pro diuerſa aeris conſtitutione diuerſis imbuūtur coloribus, alius enim color eſt plantis in locis campeſtribus, & conuallibus, alius in montoſis & excelſis, alius in calidis regionibus, alius in frigidis, alius in locis vmbroſis, alius in apertis & ſoli expoſitis. Quin etiam in vnius, & eiuſdem plantæ diuerſis partibus, diuerſus apparet color ob diuerſas qualitates quas ab aere recipiunt: vt videre eſt in pomis, hæc enim qua parte ſolis radios excipiunt, multo vegetiorem colorem ſortiuntur quam in oppoſita parte,

parte, ſic etiam radices plantarum intra terram incluſæ, alio ſunt colore ab ijs partibus, quæ à terra ſe exerunt, hæ enim herbaceo colore ſunt, illæ albo cuius diuerſitatis ratio eſt, quia cum externus aeris calor, radices non attingat, non poteſt earum humidum tam perfectè permiſcere, ſicut in foliis permiſcet: quod quidem ita ſe habere ex eo conuincitur quod ſi in ambitu terrra amoueatur, paſtinoque refodiatur, pars ea quæ antea terra occultabatur, vt liberè externũ aerem excipit, ſtatim nouum colorem aſſumit, qui proxime accedit ad eum qui in folijs viſitur: & contra ſi folia viridia, terra obruantur, alba euadent: Sic olitores Cichorium, Endiuiam, Carduos, aliaſque herbas dealbant dũ intrà terram aut arenam eas recondunt: Sic etiam lactuca, aut braſſica capitata, in meditullio alba ſunt. Roſæ quoque in principio antequam expandantur, ſolemque vndique recipiant albeſcunt ea in parte quæ magis occultatur; Soli verò expoſitæ vegeto illo colore veſtiuntur.

***

Capvt

CAPVT XXVIII.

1 Pilorum colores immutantur primò ob abundantiam, vel deffectum Alimenti.

2 Secundo ob coctionem vel cruditatem, eiuſdem alimenti.

3 Tertio tincturam accipiunt pili à ſuperfluis humoribus, qui cum ipſis permiſcentur.

4 Ab externo quoque aere pilorum color immutatur.

5 Ex certa etiam aquarum proprietate tum in hominibus tum maximè in brutis certi colores pilis inuruntur, nonnunquam etiam ex phantaſiæ agitatione.

HAs mutationis colorum cauſas quæ in plantis locum habent vt ad pilos referamus ſit.

Prima Aſſertio colorum mutationes in pilis contingũt ob copiam vel deffectum Alimenti. Hanc aſſertionem fusè probat Ariſtoteles lib. de colo. cap. 6. *Siquidem* (inquit) *puerorum omnium captia, dum parui ſunt rufa exiſtunt ab initio, quod euenit ob paucitatem*

alimenti

alimenti. Hanc autem alimenti paucitatem varijs indicijs demonſtrat, nempe ex eo quod in primo exortu, capilli ſunt imbecilles, rari, breues: procedente autem ætate nigreſcunt, tunc cum capilli rurſus colorem trahunt, ex multitudine defluentis alimenti. Pergit eodē capite idem varijs experimentis confirmare, ac tandem ſic concludit *vt autem in vniuerſum dicamus, & de aliorum pilis, & pennis, omnia commutationes accipiunt, hæc quidem alimento deffi-ciente; hæc autem ex aduerſo redundante:* quin etiam pilorum albedinem infirmioris caloris notam eſſe in animalibus decernit, quod albedo à paucitate alimenti ſuſcitetur. *Proinde inquit animalia alba pleraque omnia infirmiora ſunt quam nigra nam illa antequam abſolutum incrementum capeſſant propter paucitatem tenuitatemque alimenti iam natura alba efficiuntur eo more quo ſolent fructus quotquot laborare & ægrotare cōtigerit; hi enim multū ante tempus, ob imbecillitatem matureſcunt.* Hoc ipſum paucis verbis rectè expreſſit Poëta in Georg. de equorum coloribus differens.

Color eſt deterrimus albis.

Denique 5. de generat. animal. cap. 5. docet Ariſtoteles gruibus ſeneſcentibus pennas nigreſcere ob magnum humorum affluxum

qui

qui in illos decumbit.

2 Secunda aſſertio colorum mutationes in pilis contingunt ob coctionem, vel cruditatem alimenti, quo nutriuntur. Probatur manifeſta experientia, dum enim calor natiuus, Concoctionis primarius artifex, vel per morbum vel per ætatem immutatur, variæ quoque mutationes in pilis contingunt ratione colorum vt docet Ariſtoteles 5. de Generat. Anim. cap. 4. vbi aſſerit Caniciem fieri cum calor natiuus pili, ſuum alimentum perfectè excoquere non poteſt. Sed & eam caniciem quæ accidit ex inopia caloris natiui, per ætatem contracta, immedicabilem eſſe decernit, quia non poteſt fieri regreſſus à ſenili, ad iuuenilem ætatem. Similiter ſect. 10. prob. 27. in cicatricibus iumentorum pilos oriri quidem docet,; verùm multò imbecilliores, & candidiores prioribus, quod regenerata cutis, multo imbecillior priore, ſuum alimentum perfectè concoquere non poſſit.

3 Tertia Aſſertio. Pili aſſumunt colorem ab humoribus ſuperfluis nonnunquam per modum tincturæ: Hoc eſt halitus humorum bilioſi, pituitoſi, melancholici, cum pilorum materia permiſti, ſuum colorem pilis impri-

munt. Iuxta hunc ſenſum accipienda eſt Galeni ſententia 2. de temperament. cap. 4. cum nigrum pilum ex fæculento atræ bilis recremento fieri decernit, flauum ex flaua bile; Album ex pituita; Rufum ex permiſtione bilis, & pituitæ vt iam ſupra demonſtrauimus cap. 12. Itaque meritò idem Galenus in Arte parua cum docuiſſet cerebri temperiem ex coloribus capillorum deprehendi, hanc affert determinationē: ſignum hoc habere locum, cum humores reſpondent temperamento cerebri; fieri enim poteſt, vt cerebrum frigidum ſit & humidum, tamen ob vapores, & fuligines quas ex inferioribus partibus excipit, capillos nigros, vel flauos emittet. Probatur autem Aſſertio quia in alba Vitiligine pili albi ſubnaſcuntur, ob pituitæ ſubcutaneæ copiam, quæ per pili ſubſtantiam ſe inſinuans pilum album efficit. Sic & in Alopecia tum pili, tum cutis ipſa, à ſubſtrato humore colorem mutuantur, vnde docet Galenus & plerique omnes practici qui de hoc affectu diſſerunt, ad dignoſcendam Alopeciæ cauſam, pilorum colores eſſe inſpiciendos. Denique pili brutorum à cutè colorem aſſumunt, quia cum illa craſſior ſit, pilorum alimentum retinet: ipſique ac pilis

conſequenter ſuum colorem impertitur.
4 Quarta Aſſertio. externus quoque aër plurimum poteſt ad imprimendum pilis colorem: probatur experientia quæ manifeſtè docet pro regionum varietate, pilos plurimum immutari, tum in hominibus tum in brutis. Ac propterea Galenus in arte parua ad eam determinationem quam ſuperiori aſſertione retulimus, adiungit aliam, ſcilet ex capillorum coloribus & alijs qualitatibus, de cerebri temperiè faciendum eſſe iudicium in regionibus temperatis dumtaxat: manifeſtè innuẽs in ceteris regionibus immutari capillos, non tam pro diuerſa cerebri temperie, quam pro aeris ambientis conditione, cum enim nigredo intentioris caloris, flauities remiſſioris ſit indicium; Germani tamen flauos, Æthiopes nigros gerunt capillos, cum tamen in illis multo vegetior ſit, & intentior natiuus calor, quam in his. Huius rei rationem reddit Ariſtoteles ſect. 10. prob. 24 quia calor exterior in regionibus calidioribus, altiùs corpus ſubiens, pilorum alimentum adurit & conſequenter nigrum colorem ipſis inducit: contra autem inquit eorum qui ſub Aquilone degunt, molles laſciuique funduntur pili, quod his ſanguis, dulciſque ſapor per

ſummam potius fluitat formam,quamobrem his color quoque hilarior eſt. Confirmatur quoque aſſertio noſtra quia ſicut plantarum radices, vt plurimum candeſcunt, eo quod externus aër eas non attingat, ſimili ratione pilorum quoque radices albeſcunt, quod albi externi aeris qualitatibus non afficiantur. In Brutis quoque pro diuerſa cęli cōditione colorū mutationes cōtingere frequēs monſtrat experientia. *Quæ in emendis bobus*,inquit Varro,*ſequenda quæque vitanda ſint non ex facili dixerim, cum pecudes pro regionis cælique ſtatu, & habitum corporis, & ingenium animi, & pili colorem gerant diuerſa: aliæ formæ ſunt Aſiaticis, aliæ Gallicis, Epiroticis aliæ; nec tantum diuerſitas prouinciarum,ſed ipſa quoque Italia partibus ſuis diſcrepat: Campania plerumque boues progenerat albos, & exiles, labori tamen & culturæ proprij ſoli non inhabiles. Vmbria vaſtos & albos eademque rubros &c.* Quin etiam quod mirere magis, ea eſt in pilis immutandis, vis aeris, vt quædam animalia certa in loca tranſlata, priſtinum colorem deponant, nouumque aſſumant. *VVozca* inquit ſcalig. Exer. 211. *Sarmatorum est regio à Nouigrod Septentrionem verſus in eam quæcumque animalia vel commigrant aliundè vel trāſferuntur albeſcere pro confeſſo eſt.*

Quinta

Quinta Aſſertio ob certam quoque aquarum proprietatem pilis diuerſi contingunt colores, tum in Brutis, tum in hominibus: ac de brutis quidem non eſt magna controuerſia id enim non ſemel docet Ariſtoteles ac potiſſimum 3. de hiſtor. Animal. cap.12.vbi ſic habet *immutant etiam nonnulla ex animalibus pilorum colores, ex aquarum immutatione: alibi enim candida fiunt, alibi nigra; ſunt etiam aquæ multis in locis, quas cum oues biberint, moxque inierint, nigros generant agnos vt in terra Aſſiritide agri chalcidici, & Thraciæ facit amnis, quem præ nimia frigiditate Pſycrum vocant.* Idem quoque docent Strabo lib.10. de Cireo & Neleo Eubææ fluminibus. Seneca natur. quæſt. lib. 3. cap.25. de duobus Bæotiæ fluminibus, quorum alter ab effectu Melas nuncupatur. Vitruuius lib.7.c.3. ſcribit in agris Clazomeniorum, & Erythreorum,& Laodicenſium,fontes & flumina naſci,quæ diuerſos agnis colores conciliant: & Plinius lib.11. cap.103.& lib. 31.cap. 11. varia flumina commemorat ſimili facultate donata. In hominibus vero colorum mutationes contingere, ex aquarum diuerſitate videtur negare Ariſtoteles ſect. 10 prob. 7. vbi quærit cur animantium alia cum aquam mutarint, colorem ſuum amit-

tunt, ſimiliaque loci illius domeſticis reddũtur, vt Capræ: alia vero nunquam amittunt: vt homo. Cæterum citati authores ſcribunt etiam hominem ex aquarum mutationibus mutationem colorum in pilis ſentire, Strabo lib.6. de Crathide ita ſcribit. *At Crathis hominum qui in eo lauant crines fuluos alboſque reddit.* Plinius lib.31. cap.11. *Quin & homines* inquit *eam ſentiunt differentiam nam qui Sybarim bibunt nigriores ſunt, durioreſque & criſpo capillo: qui ex Crathide candidos molliereſque habent, ſuntque pro-recta coma:* huiuſce rei meminerunt Ælianus Vibius ſequeſter & Ouidius his verſibus,

Crathis, & hinc Sybaris veſtris conterminus oris
Electro ſimiles faciunt auroque capillos,

Et certe ratio id videtur ſuadere; cum enim pilorum colores immutentur pro copia aut coctione, humoris alimentitij: nemo eſt qui ignoret aquarum mutationem, huiuſmodi mutationẽ alimenti; etiam in homine poſſe inuehere. Itaque benè annotant nonnulli Ariſtotelem citato proble. ita audiendum eſſe vt non abſolute neget ex aquarum mutationibus pilorum colores in hominibus immutari, ſed tantum vt comparatè loquatur, facta ſcilicet comparatione cum alijs animalibus: in his enim ex aquarum mutationibus,

con

contingit inſignis, & repẽtina colorum mu-tatio; vt ex albedine in nigredinem, & cõtra: In homine verò leuior contingit mutatio, neque ita ſubitanea; cuius rei varias cauſas refert Aponenſis, nempe quia homo non vtitur aqua eo modo quo bruta; Ille enim admiſto vino, aut alio liquore, aut etiam decoctione, aquam temperat; neque etiam pro corporis magnitudine tantum aquæ aſſumit: atque vt inquit idem, licet homo maximè ſit humidus; hæc tamen humiditas, tum à natura, tum ab arte magis conſeruatur à permutatione; quoniam hominis natura magis à contrarietate, & fæce elementorum eſt depurata, & veluti aurum in fornace præ cæteris metallis probatũ. Denique cum bruta ſupra plantarum conditionem ſenſibus, tum internis, tum externis, donata ſint, ex horum varia agitatione, varius, & multiplex color pilis imprimitur vt ſupra docuimus

***

CAPVT XXIX.

Ariſtoteles duas refellit ſententias de cauſis Caniciei, prima eſt Hipocratis qui caniciem fieri ab albo alimento cuti ſubſtrato decernit.

2 Altera eorum qui canitiem ab ariditate fieri ſtatuebant.

3 Statuit Ariſtoteles caniciem fieri à putredine.

4 Refellitur hæc Ariſtotelis ſententia.

5 Examinatur quid ſit putredo & quomodo fiat.

6 Proponuntur varia argumenta contra Ariſtotelis ſententiam.

EXplicuimus ſuperiori capite quibus ex cauſis in vniuerſum, pilorũ colores immutentur, iam ad ſingulas colorum ſpecies deſcendendum eſſet; verum quia id immenſi laboris eſt, ſufficiet nobis de canicie diſſerere; ex hoc enim colore quid de reliquis iudicãdum ſit facilè innoteſcet; nam colorum alij ſunt extremi, alij intermedij, extremi ſunt albus & niger: itaque cum contrariorum contrariæ ſint cauſæ, explicatis cauſis albedinis, facile

cile occurret quæ ſint cauſæ nigredinis, intermedij autem colores vt magis aut minus ad alterum extremorum accedunt ita magis aut minus illorum cauſas participant; Ergo vt ad caniciem accedamus, Ariſtoteles 3. de hiſtoria anim. & 5. de generat, anim. duas proponit ſententias de cauſis caniciei,eaſque refellit, Prima fuit Hippocratis qui cum videret in alba Vitiligine pilos albeſcere; quod album, & pituitoſum alimentum cuti ſubiacens,ſimili colore pilũ inficeret collegit vniuerſalẽ cuiuſlibet caniciei cauſã eã eſſe,ſcilicet albũ & pituitoſũ alimentũ cuti ſubſtratũ. Hoc placitum conuellit Ariſtoteles quia canicies proprie dicta; ex inopia & deffectu caloris natiui contingit; non autem ex peculiari cutis vitio, cuiuſmodi eſt in vitiligine, in qua cutis humana craſſeſcit inſtar cutis brutorum, in his autem ob craſſitiem pili color, colorem cutis repreſentat; At in homine qui ſecundum naturam ſe habet, cum cutis tenuiſſima ſit, nihil ad colorum mutationem confert, qui enim habent pilos nigros cute ſunt candidiſſima; & æthiopes, quibus nigra eſt cutis, per ſenectutem caneſcunt. Ergo non debuit Hippocrates cauſam illam caniciei quæ in vitiligine contingit, ad alias ſpe-

cies transferre.

2 Altera opinio quam refellit Ariſtoteles eorum eſt qui ſtatuebant caniciem fieri ab ariditate; ſicut enim videmus areſcentes plã tas, ſeu quod à nimio ſolis incendio ipſarum ſuccus exhauriatur, ſiue quod ob inopiam, & deffectum calidi natiui, nouum ſuccum prolectare non poſſint, has inquam videmus albeſcere; ſimiliter pilos candeſcere exiſtimabant quod defficiente alimentitio humore areſcerent: Hanc ſententiam triplici argumento inſequitur: primo quia nonnulli derepente cani euaſere; imo & ab ipſo ortu quidam cani prodidere; atqui nihil ab ipſo ortu, aut derepente poteſt areſcere, Ergo ariditas non eſt cauſa caniciei. 2. ratio petitur ex eo quod qui caput, pileo, aut alio tegumento operiunt, ij citius caneſcunt, quam quibus illud ſemper eſt denudatum, operti autem pili minus ſiccantur, quam aperti.

3. Canicies nonnunquam à pili cuſpide inchoatur; Ergo non fit ab ariditate, conſequẽtia probatur: quia in cuſpide non tam intenſus eſt calor, quam in radice, Ergo hæc prius deberet areſcere, & conſequenter caneſcere, quam illa: Accedit quod pilus, ex ſententia Ariſtotelis, ſemper à radice creſcit, & non

à cu

à cuſpide, Ergo ſi ex alimenti deffectu, & ariditate procedat canicies, perpetuò à radice inchoabitur; huic enim ſoli ſe ſe alens humor agglutinat.

3 His opinionibus reiectis ſtatuit Ariſtoteles, cauſam caniciei non aliam eſſe quam putredinem, qua autem ratione id fiat ſic declarat. *Quibus hominibus natura pilorum parum calida eſt, pluſque humoris ſubit, calor proprius nequit concoquere, atque ita humor putreſcit, calore aeris ambientis, fit enim putredo quæque à calore, ſed non ſuo, natiuoque; putredo autem, & aquæ, & terræ, & quorumuis eiuſmodi corporum fieri poteſt: quamobrem terreni etiam vaporis putredinem nouimus, quæ ſitus vocatur; etenim ſitus caries vaporis terreni eſt; itaque in pilis quoque alimentum tale cum non concoquitur, putreſcit, atque ita efficitur ea quæ canicies appellatur; quæ alba propterea eſt, quod & ſitus vnus carioſorum ferè albus eſt; cuius rei cauſa eſt, quod multum aeris continet.* Ex his Ariſtotelis verbis, cauſæ caniciei, tum proxima, tum antecedentes colliguntur: proxima quidem cauſa eſt flatus incluſus in terreo, is enim albeſcit vt patet in ſpuma, in carie parietum, & aliis ſimilibus; antecedentes autem cauſæ ſunt caloris imbecillitas, maior alimenti affluxus quam calor natiuus pili poſſit con-

coque

coquere; calor aeris ambientis, incoctum illum humorem putrefaciens: cum autem alimentum rei nutriendæ ſimile eſſe debeat, pilus qui admodum terreus eſt, ſimili quoque nutritur alimento: Is ergo humor terrenus putreſcens vertitur in flatum. Rem autem ita ſe habere demonſtrat Ariſtoteles experientia eorum qui cum per morbos cani euaſerunt, reſtituta ſanitate priſtinum colorem in pilis obtinuerunt: cuius euentus eam aſſignat cauſam, quia per morbum calor natiuus pili debilior factus, ſuum alimentum non potuit concoquere, quo ex deffectu, putredo, & ex putredine canicies fuit conſequta; poſteaquam verò æger ſanitati reſtitutus eſt, calor vegetior factus, crudos humores emendat, & putrefactos abigit; in quorum locum, bonos, & perfecte coctos, ſubrogans; pilis ſuum colorem reſtituit, adeo vt ex ſenibus iuuenes facti videantur, vt enim morbus aduentitia ſenectus dici poteſt: ita ſenectus, naturalis morbus recte appellatur.

4 Sanè in hac inquiſitione facilius occurrit quid aliorum placitis, eorumque rationibus opponas; quam quid ſecundum rei veritatem ſit aſſerendum; quibus enim rationibus ſtudet conficere Ariſtoteles caniciem ex ariditate

tate non ſuſcitari; ijſdem etiam demonſtrare poſſumus, neque etiam putredinem eſſe cauſam caniciei: ac primo quod objicit Ariſtoteles nihil ab ipſo ortu ſiccum produci, aut derepente tale euadere; & propterea cum canicies ab ortu & repente nonnunquam contingat eam à ſiccitate prouenire non poſſe: Idē telum in ipſius Ariſtotelis ſententiam poſſumus retorquere, cum enim putredo, via ſit ad corruptionem, potiuſquam ad generationē, nihil profecto ab ipſo ortu putridum ſuſcitabitur; Ergo cum doceat Ariſtoteles quandā eſſe caniciem ab ortu congenitam, ſicut de Thirrheno Tarcone, Cigno Troiano, Tarquinio priſco, nonnulli commemorant, non videtur huius caniciei cauſa in putrefactionem referenda. Tertium quoque argumentum quo Ariſtoteles eandem opinionem inſectatur, ipſius etiam ſententiam euertit, ſi enim à putredine ſuſcitatur canicies, deberet ea perpetuo à radice inchoari, non minus quam ſi ab ariditate procederet: conſequentia manifeſta eſt, ſi enim pilus à ſola radice incremētum ſuſcipiat, ſanè à radice, canicies ſemper initium ſumet, huic enim primò ſe ſe putridum alimentum adiunget.

5 Sed vt hæc clariora euadant putredinis

ratio paulo altius repetenda eſt ex ipſo Ariſtotele: Is igitur 4. meteor. cap. 2. putredinẽ deffinit *corruptionem proprij calidi in humido ab extraneo colore*; quam deffinitionem vt intelligas, id præmonendum eſt, putrefactionem non competere viuentibus vt ſunt viuentia; ſed quatenus ſunt mixta, in hoc enim differunt mors, & putrefactio, quod mors ſit corruptio viuentis, vt eſt viuens; nempe ſeparatio animæ à corpore, putrefactio autem eſt corruptio miſti, vt miſtum eſt; nempe diſſolutio corporum, ex quibus miſtum primò cõponebatur: vnde putrefactio dicitur vltimus finis omnium miſtorum, quod enim primum eſt in compoſitione; poſtremum eſt in reſolutione; cum igitur viuens prius ſit miſtum quam viuens; in viuentis corruptione, & diſſolutione, prius ceſſabit eſſe viuẽtis, per mortem quam eſſe miſti, per putrefactionem: ac propterea ſcribit Ariſtoteles, mortem eſſe viam ad putrefactionem: anima enim eſt veluti vinculum; elementorum ſubſtãtias, contrariáſque ipſorum qualitates in vnum concentum, & temperiem colligens, ea igitur à corpore ſeparata, diſſoluitur quoque vnio eorum ex quibus componebatur miſtum: atque hæc diſſolutio putrefactio eſt. Vt autem

me

melius innoteſcat quomodo fiat iſta diſſolutio, attendendum eſt quomodo fiat permiſtio. Ergo vt exacta fieret qualitatum permiſtio;ſolers, & prouida natura indidit calori virtutem quandam maſculam, qua in humidum inſiliret, & fugeret à merè ſicco; humidum enim eſt materia ebullitioni apta, per quam optimè fit permiſtio: Indidit etiã eadem natura, vim quandam ſicco vt humidum prolectaret, & in ſe abſorberet: calidum ergo in humido exiſtens, intro penetrans, commodiſſimè permiſcet ambo paſſiua; ſicque conſummatur vera permiſtio, quæ opus eſt ſolius Dei, & naturæ. In putrefactione igitur, humiditas illa, quæ erat veluti vehiculum caloris; quæque per ſiccum diffuſa erat; per putrefactionem in exteriores partes euocatur, & effunditur, vnde fit vt ea quæ putrent, primò humida euadant, vt videre eſt in pomo tritico &c. Hoc enim dum putreſcit, multa grana ſimul conglobantur, quia eorum humor in ſuperficiem effuſus ad inuicem conglobatur. Corpora verò ſolidiora, in quibus exacta eſt paſſiuarum qualitatum permiſtio; non euadunt humidiora, ſed carioſa, & rubiginoſa, & propter paulatinam humidi reſolutionem facilè friabilia: neque fætët ea quia

vt

vt paulatim ad ſuperficiem trahitur humiditas, ita paulatim diſſipatur: humidiora vero corpora dum putrent, fætorem emittunt, quia multum humidum effunditur, & plurimum natiui caloris diſſipatur: fætoris autem origo eſt, humidum non regulatum à calido: cuius rei indicium eſt, quod cum primum humidum putrens obtinetur à calido, ad nouam formam miſti, ceſſat fætor; vt cum ex cadauere vermes generantur. Rectè itaque ſagax, & prouida natura, ſicuti fragoris ſenſum animalibus indidit, ad vitanda incommoda, quæ longe ſunt: ita fætoris abominationem ijſdem inſeruit, vt fætentia tanquam praua & incocta alimenta euitarent.

2 Ex his multa occurtũt quæ Ariſtotelis ſententiæ opponas; ac primò cum putrefactio ſit vltima miſti diſſolutio, eã in viuẽtibus præcedebet ſeparatio animæ à corpore: Ergo ſi canicies à putredine ſuſcitatur, prius deſinet pilus eſſe viuens, quam caneſcat, atqui functiones animaſticæ nõ minùs exercentur in pilis caneſcentibus, quàm ante caniciem.

Secundò, pili ſunt ſicciſſimi, & ſolidiſſimi, vt fatentur omnes; quæ autem talia ſunt, nuſquam derepente putreſcunt, cum enim in ſolidis corporibus, humiditas ad vnguem permiſta

miſta ſit cum ſiccitate; ſane difficulter pote-
runt adinuicem ſeparari, conſtat autem re-
pentinam caniciem ſæpius contigiſſe.

Tertio Ariſtoteles ad putrefactionem re-
quirit deffectum calidi innati, & intentionẽ
caloris externi, qui poſſit internum humidũ
euocare; in quo natiuus calor reſidet: atqui,
vt ſupra docuimus, nonnulli vna nocte cani
euaſere, cum tamen conſtet nocturnum: aë-
rem non eſſe admodum calidum.

Quarto non datur regreſſus à corruptio-
ne, ad generationem; Ergo ſi canicies eſt pi-
li putrefactio, non dabitur regreſſus ab illa, ad
priſtinum pili colorem: contrarium autem
docent & Ariſtoteles, & experientia; quibuſ-
dam enim qui per morbum cani euaſerant,
reſtituta ſanitate priſtinus pilis color reddi-
tus eſt.

Quinto videmus permultos canicie affe-
ctos, qui tamẽ bene habent, omniaque natu-
ræ munia rite exercent; Ergo in illis non vi-
detur accuſanda putrefactio, cum ea ſit vlti-
ma miſti diſſolutio.

Sexto ſitus ille corporum carioſorũ, quem
vult Ariſtoteles eſſe cauſam caniciei, eſt faci-
le ſeparabilis à corpore cui adhæret, vt vide-
re eſt in carie parietum, rubigine ferri, &

alijs ſimilibus, imo docet Ariſtoteles ſitum illum per ſumma inhærere; atque à poetis ſenectutis pruinam nuncupari. At verò cani pili quantumuis fricentur, aut abluantur, ſemper albi remanent; Ergo cauſa caniciei debet eſſe fixa, & permanens; & quod conſequens eſt; non erit is ſitus, quem agnoſcit Ariſtoteles, illum enim ſi vel ſummis digitis attrectes, ſtatim diſſoluetur.

Denique, ſi etiam in cadaueribus, pilus integer, & incorruptus per multos annos remaneat; imo & in nonnullis etiam creſcat, quomodo in viuentibus, qui integra ſanitate fruuntur poterit ille putreſcere.

***

Capvt

CAPVT XXX.

1 Poteſt recipi ſententia Ariſtotelis, ſi de putrefactione alimenti pilorum intelligatur.
2 Pilorum materia à cæteris humoribus ſeparata albeſcit.
3 Varijs ex cauſis idem color ſuſcitatur.
4 Caniciei cauſa eſt alimenti deffectus.
5 Altera cauſa eſt eiuſdem alimẽti cruditas ex debiliore calore.
6 Accidit quoque canicies ex ſeparatione fuliginum & ex tinctura pituitæ.
7 Et certa quoque aeris & aquarum proprietate ſuſcitatur.

CÆterum, illud hoc loco prætereundum non videtur. in pilis duo, quod ad rem præſentem ſpectat, eſſe conſiderãda, ipſam ſcilicet pilorum ſubſtantiam, & alimentum intra pilum reconditum: ac propterea cum ſcribit Ariſtoteles caniciem ex putredine ſuſcitari; id duobus modis poteſt ntelligi, nempe vel de putrefactione ſubſtan

tiæ, vel de putrefactione alimenti: Si igitur Ariſtoteles, putredinem ipſius ſubſtantiæ pili incuſet, hoc placitum, ſuperioribus rationibus ſatis confutatum videtur; ſin autem, caniciem in ſolam alimẽti putredinem referat, non videtur hæc ſententia omnino rejicienda. Vtrum autem diſtinxerit Ariſto. ſubſtantiam pili, ab eiuſdẽ alimento, nõ ſatis conſtare videtur; Si enim pilus à radice tantùm incrementum ſuſcipiat, vt maniſtè expreſſit. 3. de hiſto. anim. cap. 11. nulla erit diſtinctio inter ſubſtantiam, & alimentum pili: Quoniam autem ex variis locis Ariſto. ſupra collegimus pilos ſecundum omnes partes creſcere, & nutriri, poterit fortaſſe illius ſententia de alimenti putrefactione intelligi; atque hæc explicatio ipſius menti magis accommodata videtur vt patet ex cap. 4. lib. 5. de gener. animal. vbi ſic habet. *De alimento autem quod quamcumque partem corporis ſubeat, ita intelligendum eſt, vt calore proprio concoquatur, qui cum agere nequeat, deprauatur alitio, & aut repletio ſequatur, aut ægritudo: quibus igitur hominibus &c.*

2 Illud quoque adnotandum eſt, pilorum ſubſtantiam in ſe ſpectatam, prout à contagio halituum, & aliorum humorum ſeparata eſt, albeſcere, ſiquidem vtile excremen-

tum,

tum, tertiæ coctionis, partium ſolidarum, quo pilos conſtare ſuperius docuimus, albeſcit, vt patet in ſemine medulla &c. cuius rei illud etiã argumentũ eſt quod radices pilorum candeſcant quia magnam huiuſce humoris copiam contineant, ex quo fit vt pili quocumque colore imbuti ſint, tandem per ætatem caneſcant, dum ſcilicet calor natiuus imbecillior factus, humorum halitus nõ poteſt in cutem deturbare. & ſubſtantiæ pilorum permiſcere.

3 Tertio id etiam obſeruandum eſt, varijs ex cauſis eundem colorem poſſe induci; tum in alijs partibus corporis, tum etiam in pilis: docet enim Ariſtoteles ijſdem ex cauſis, Glaucedinem in oculis, & canitiem in pilis contingere, Glaucedinis autem variæ cauſæ, tum ab Ariſtotele, tum à Galeno, tum ab alijs numerantur, quidam cauſam referunt ad augmentum Glacialis cum diminutione Albuginei, quę diminutio ex ſiccitate prouenit: quidam ad cruditatem quæ frigiditatis eſt ſoboles: quidam ad copiam ſpirituum, qui caloris ſunt indicies; quidam ad albedinem vueæ. Quare tertio Epidemion ex Glaucedine modo frigiditatem ſignificari ait, Gal. modo humiditatem: modo vtrumque vitium. Itaque

non eſt quod quiſpiam miretur ſi vnius & eiuſdem coloris varias cauſas aſſignē ſequentibus aſſertionibus.

4 Prima Aſſertio, cauſa caniciei eſt deffectus humoris alimentitij quo pilus nutritur: Probatur 1. quia in canicie, pili attenuantur, & contabeſcunt, attenuatio autem illa deffectū alimēti indicat vt docet Gal. 2. de Tēper. Secundo contrariorum contrariæ ſunt cauſæ: nigredinis autem pili cauſa eſt abundantia humoris alimentitij, Ergo albedinis cauſa erit deffectus eiuſdem: minor probatur, quia docet Ariſtoteles Gruibus ſeneſcentibus pennas nigreſcere, ob magnam alimenti copiam eas in partes defluentis, accedunt etiam in eiuſdem confirmationem illæ rationes, quibus ſupra confecimus, colorum mutationes in pilis contingere, ob abundantiam vel deffectum alimēti. Tertio ijſdem ex cauſis contingit Glaucedo in oculis, & canicies in pilis: Glaucedo autem ex humoris deffectu ſuſcitatur; Ergo & canicies minor demonſtratur ab Ariſtotele eleganti ſimilitudine petita ex coloribus qui in aqua viſuntur: Si enim aqua pauca ſit, & multo lumine colluſtretur; apparet alba, & pellucēs: ſi verò altior ſit, ita tamen vt oculus, ad imum vſque

pene

penetret; apparet in ea color qui aqueus dicitur quid ſi præaltus eſt gurges, nigricat. Ad eundem modum, ſi humor oculi paucus eſt, & multo ſpiritu perfuſus, fit Glaucus: ſi plurimus, nigricat; ſi moderatus, medium aliquē colorem obtinet: ac proptera infantum, & ſenum oculi vt plurimum Glauci ſunt; illorum quidem, quia ob oculi paruitatem, ſicut & reliquorum membrorum, humidum contentum paucum eſt; Horum vero membra, cum areſcant omnia, multo magis areſcunt humores oculorum. Eadē quoque colorum diuerſitas, in nubibus cōſpicitur: ſi enim denſæ ſint, multumque vaporis contineant, nigreſcunt; ſi raræ albeſcunt; ſi medio modo ſe habeant; medium quoque ſortiuntur colorem. Denique: probatur aſſer. albedo in animalibus deterioris temperamenti eſt indiciū vnalba enim animalia infirmiora ſunt nigris, vnde quamuis cōmuniter dicamus, ex omni pilorū genere, bonos, & generoſos equos, poſſe comparari: tamen vt plurimum, nigredo, tum in equis, tum in tauris: alijſque animalibus; generoſitatis, & roboris eſt argumentum: quin etiam nonnulli, oua à nigris Gallinis edita, tanquam ſuauiora, & perfectius cocta commendant.

5 Secunda Aſſertio. Caniciei cauſa, etiam in cruditatem, & incoctionem alimenti eſt referenda. Próbatur quia cruditas ſequitur imbecillitatem natiui coloris; at qui ſemper in canicie imminuitur natiuus calor: Tribus enim modis ſolet ea contingére, primo per ætatem: 2. per morbum: tertio in ſubita animi conſternatione: ac in ſenibus quidem nemo ambigit, calorem natiuum multò eſſe debiliorem; per morbos quoque idem calor fit infirmior; morbus enim eſt aduentitia ſenectus: in ſubita etiam animi conſternatione, quam metus mortis intulit, aut violẽtius animi pathema, calor, exteriores partes deſerẽs, ad interiora recurrit; vnde cutis calor elangueſcit; Ergo in omni canicie contingit caloris debilitas: & quod conſequens eſt cruditas, & incoctio, 2. Probatur hæc aſſertio, eodem argumento quo ſuperior, ijſdem ex cauſis Glaucedo in oculis, & canicies in pilis accidit, illa autem ex cruditate & humorum incoctione nonnunquam contingit, vt docet Auerr. 4. collect. 3. vbi Glaucos oculos, tanquam indices frigiditatis, & cruditatis cerebri, & oculorum, valde Arabibus ait reprobari. Itaque quod legitur pri. Epid. ſect. 2. cõ. 78. nigros oculos atteſtari temperamento frigi

frigido; & nigros pilos; videtur corrupta lectio tam in pilis, quam in oculis, vt rectè annotauit doctiſſimus Thomas Auega. Atque iuxta hanc aſſertionem intelligi poteſt ſententia Ariſtotelis, cauſam caniciei in putrefactionem referentis, cruditas enim, à putrefactione, aut nihil, aut parum diſſidet; ſiquidem tum cruditas, tum putrefactio, maturitati opponuntur: maturitas enim eſt victoria calidi ſupra humidum; contra autem putrefactio, eſt victoria humidi, ſupra calidum; quę deffinitio etiam cruditati competit.

6 Tertia aſſertio. Pili etiam candeſcunt; aut per ſeparationem eorum halituum, qui per modum tincturæ ipſis colorem imprimebãt, aut per tincturam, quam à pituitoſo humore, excipiunt. Prima pars huius aſſartionis probatur quia pilorum materia in ſe ſpectata albeſcit; varios autem colores aſſumit à permiſtione halituum, qui ex bile, pituità, melancholia eleuãtur, ac propterea ſi huiuſmodi halitus ſeparentur albeſcet pilus: varijs autem modis poteſt contingere huiuſmodi ſeparatio; vel quia ob caloris inopiam, nullus de nouo ſuſcitatur, quæ ratio locum habet in valde ſenibus: vel quia eleuatus, alio deriuatur, vt in ſubita animi conſternatione: vel

quia à nimiò calore digeritur;ſicut enim feruente canicula raræ pluuiæ decidunt, quod intenſior ſolis calor,eleuatum vaporem digerat,& reſoluat: ita fieri poteſt, vt ab intenſiore calore, halitus humorum reſoluantur: ſic ab ipſo ortu nonnulli cani prodidere, quod à nimio vteri calore tales halitus conſumpti eſſent.

Quod vero ad ſecundam aſſertionis partem attinet: hanc vnā caniciei cauſam agnouit Hippocrates, vti ſupra monuimus,nempe humoris albi & pituitoſi permiſtionem cum materia pili, & Gal.2.de temp.cap.4. nec non Argenterius Comment.2.in artem med. Gal. *Duplicem* inquit *pilorum materiam eſſe ſtatuo; vnam quæ ſumitur ex terreno, & ſordido excremento, genito in tertia coctione; aliam vero quæ ſumitur ex pituita naturaliter ſubiecta,& adhærente mēbranæ ſubiectæ cuti: ac cum exiguum quidem illic eſt pituitæ, pilus refert colorem excrementi terreni ex ſuperantis; cum vero pituita abundat: tum fragilitatem,ex excremento terreno pilus quidem retinet, ſed colorem ex pituita ſumit; ac pro varia mixtione, vtriuſque materiæ; plus, vel minus, albus, vel niger,vel alterius coloris, pilus redditur.* Atque hoc Argenterij placitū, ex parte quidem verum eſt, non tamen ex toto; hoc eſt fieri poteſt,vt

aliqua

aliqua caniciei ſpecies, fiat ex admiſtione pituitæ; non tamen omnis canicies ita fit, vt patet in ea quæ fit ſubito & derepente.

7 Quarta aſſertio ex certa quoque aeris, & aquarum proprietate contingit canicies: Probatur quia congenita ab ortu canicies quibuſdam populis eſt familiaris, cuius euentus non videtur alia cauſa poſſe aſſignari, quam communis vſus aquarum, & aeris; cum enim vniuerſalis effectus, ab vniuerſali aliqua cauſa dependeat; ſolus ille vſus, aeris, & aquarũ, communis eſt omnibus illis gentibus: nam debilitas caloris natiui, paucitas, & cruditas alimenti, pituita, & aliæ huiuſmodi cauſæ caniciei, nõ ſunt ex æquo ſingulis indiuiduis communes: ſed pro ipſorum diuerſitate variãtur. Cæterum vt ingenuè fatear omnes illæ colorum cauſę quas hactenus explicuimus, potius videntur eſſe remotæ, aut concomitantes: quam proxima, & formalis, quæ cum nobis incognita ſit, eam deſcribimus per illas: ſicut ſubſtantiales formas occultas & incognitas nobis, ſolemus per operationes, & facultates, ab illis emanantes, deſcribere.

CAPVT

Capvt XXXI.

1 Enumerantur quatuor colores medij, inter albũ & nigrum.

2 Cur canicies potius in homine, quam in cæteris animalibus, & magis in capite; maximè in temporibus appareat.

3 Quænam pars corporis poſtremò caneſcat.

4 Cur palpebrarum pili non caneſcant.

5 Cur deffunctorum pili non caneſcant.

6 Cur Rufi citius caneſcant quam nigri.

7 Cur pilli tecti prius caneſcant quam aperti.

8 Cur in Equis canicies manifeſtius apparet quã in cæteris Brutis.

VT autem innoteſcat, quid de cæterorum pilorum coloribus iudicandum ſit, illud obiter monendum eſt; inter album, & nigrum, quatuor vulgo numerari colores intermedios, pallidum ſcilicet, rufum, flauum, rubicundum; qui adinuicem æquè diſtant: quantum enim pallidus, ab albo diſtat; tantum diſtat, rufus à pallido: rurſus, quæ proportio eſt

eſt rufi ad pallidum; eadem eſt flaui, ad rufum; & ſic de alijs, Pallidi autẽ coloris exemplum habes in citro maturo, vel palea, rufi in auro vulgari, flaui in ardente carbone, rubari denique in ſanguine. Quilibet autem color quandam habet latitudinem, ac propterea in tres veluti gradus ſubdiuidi poteſt, remiſſum ſcilicet medium, & intenſum, remiſſum exprimimus per particulam (ſub) intenſum, per particulam (valde) mediũ ſimpliciter & ſine adiuncto verbi gratia, ſub rufus, Rufus, valde rufus: Color igitur ſuperior cum particula (ſub) inferiorem deſignat, verbi gratia ſub rufus, pallidum ſignificat: aut qui parum à pallido differat, & contra inferior addita particula (valde) pro ſuperiori accipitur, verbi gratia valde rufus, flauum ſignificat: quod nõ tantum in pilis ſed in humoribus quoque, locum habet: vnde colligitur interpretatio loci 2. Præſagio com. 20. vbi cum laudaſſet in deiectione colorem pallidum; ſubdit reprobam eſſe, ſi valde pallida ſit, quia ſignificat per valde pallidam, rufam, vt rectè annotauit Doctiſſimus Thomas Auega.

2 Supereſt vt nonnulla problemata circa caniciem & alios colores pilorũ excutiamus: ac primò quæri poteſt, quid cauſæ ſit cur ca-

nicies potius in hominibus, quam in cæteris animalibus manifeſtè appareat; & magis in capite: maximè autem in temporibus, hæc enim ita appellantur quia canicies quæ eſt tranſactæ longioris vitæ indicium, in illis primo effloreſcat ac propterea Homerus homines πολυοκροτάφους vocat: proponitur hoc problema, tum ab Ariſtotele, tum à Galeno; & ab vtroque iuxta propriam ſentētiam diſſoluitur Ariſtoteles, quia caniciem à putredine fieri exiſtimat; Reſpondet corpora humida, maximè putredini eſſe obnoxia, homo autem cætera animalia humiditate ſuperat: Capite autem magis caneſcit, quia cerebrum in homine copioſiſſimum eſt, & inter omnes corporis partes humidiſſimum; parumque habet caloris: putredinis autē cauſæ ſunt abundantia humidi, & deffectus caloris: Quod verò ad Tempora attinet aſſerit Ariſtotele ideo maxime caneſcere, quia cum Occiput paucum cerebelli contineat, non valde abundat humiditate ſuperflua; contra autem Sinciput, ob multam cerebri copiam, putredini reſiſtit, quæ enim in maiori copia ſunt, difficilius putreſcunt, vt vini dolium, magis putredini reſiſtit, quam Cyathus: & mare, magis flumine; flumen palude: cum ergo tempora, plus

plus cerebri contineant, quam Occiput, & minus, quam Sinciput, fit vt inter capitis partes, omnium prima caneſcant.

Galenus vero hæc problemata ſic diſſoluit, Homo potiſſimum caneſcit: quia cum nõ ſubeat annuas pilorum mutationes, meritò per longam ætatem infirmatur pilus & caneſcit: magis capite ob immodicam humiditatem, à ſubſtrato cerebro ſuppeditatam; maximè autem temporibus, quia hæc ſola ex omnibus capitis partibus, muſculis veſtiũtur, adeo vt in cæteris capitis partibus, cerebri humiditas, à ſiccitate oſſis temperetur: at in temporibus concurrit duplex cauſa humiditatis; cerebri ſcilicet, & muſculorum temporalium mollicies.

Quoniam autem alias caniciei cauſas aſſignauimus, licebit nobis ſecundum illas propoſitis quæſtionibus reſpondere: Ergo vnicus homo inter omnia animalia maximè caneſcit, quia in cæteris animalibus, pilorum color ſubſtratæ cutis colorem refert, quæ cum craſſiſſima ſit, & denſiſſima; non ex facili colorem immutat; cutis vero humana cum ſit tenuiſſima nihil ad pilorum colores confert, ſed immutantur illi, pro intentione, aut remiſſione caloris natiui. Caput autem primo

cani

canicie tentatur, quia cum cerebrum innato temperamento frigidum ſit, & humidum, iuuatur à calore cordis ſuppoſiti, ad productionem pilorum; Ergo per ſenectutem duplici de cauſa refrigeratur cerebrum, primario ſcilicet, & ſecundario, primario quidem: quia ſicut cæteræ partes corporis, per ſenectutem refrigerantur; ita & cerebrum: Secundario item quia per ſenectútem natiuus calor factus debilior, ſe colligit in interiores partes, & conſequenter extimas relinquit; ſicut videmus calorem natiuum arborum, ſe ſe in radices, & internas partes recondere externaſque deſerere: vnde fit vt folia decidant, Ergo defraudatum cerebrum eo calore, quem ex inferioribus partibus excipiebat; magis etiam refrigeratur, plus autem refrigeratur cutis capitis, quam cutis aliarum partiũ; tum quia ille à corde remotior eſt, tum quia cerebrum ſuo frigore reflectit calorem natiuum, ſurſum eleuatum, ex omnibus autem capitis partibus, tempora primò caneſcunt, quia influẽs ille calor cordis, qui ad caput effertur, primo ad verticem rectà fertur; & è vertice ad tẽpora reflectitur, ſicuti videmus fumum per caminum rectà ferri; quod ſi ſolidiori corpori occurat ad latera reſilit, Ergo deffectus caloris

ris prius in illis partibus ſentitur, quæ calorẽ reflexè excipiunt; quam in ijs quæ directè eundem recipiunt; cuius rei argumentum eſt, quod in barba ferè ſemper remiſſior ſit color, quam in capite, quibus enim mentum nigricat, magis nigricat caput; non è cõuerſo; ac propterea, vt plurimum, citius caneſcit barba, quam caput. Addo aliam rationem quia in temporibus, amplæ & copioſæ ſubiacent arteriæ, quæ inſito temperamento admodum frigidæ ſunt, niſi ſpirituum copia perfundantur, qua imminuta, per ſenectutem, multum refrigerantur.

Sed ſi tempora primò caneſcunt eam ob cauſam quam recenſuimus; nempe quod reflexè cordis colorem excipiant, Cur ergo occiput quod ſimili modo ſe habet, ex omnibus capitis partibus poſtremò caneſcit. Reſpondeo cauſam eſſe, quia illud proprio, & inſito temperamento, multo ſiccius eſt cæteris partibus, ſiccitatẽ autẽ cutis promouẽdis & conſeruandis pilis conducere ſupra oſtẽſum eſt.

Vrgebis ſi mollicies eſt cauſa Caniciei, cur igitur pili Thoracis, Iliorum, & alij ſimiles non caneſcunt primi cum molliori cuti implantentur quam pili temporum. Reſpondeo in temporibus aliam ſubeſſe cauſam, nempe

copiam humoris excremētitij, qui a ſubſtrato cerebro ſuppeditatur.

3 Quænam ergo pars corporis omnium poſtrema caneſcit? Reſpondeo pubem vltimo caneſcere, vt bene obſeruauit Ariſtoteles, cuius euentus ratio, in copiam ſanguinis, & ſpirituum, eas in partes defluentium referenda videtur. Quare non male aliqui locum illum Eccleſiaſtici capit. vlt. *florebit Amigdalus* interpretantur de canicie huius partis; & ſane cum ſapiens eo loco effætam, & morti proximam ſenectutem deſcribat, potius de illa, quam de capitis canicie videtur intelligēdus: multis enim incanum eſt caput, qui facultates naturales, vitales, & animales integras obtinent, quarum ruina eo loco explicatur: imo & ſequentia verba *diſſipabitur capparis* de effæta harum partium virtute, videntur accipienda.

4 Cur cum caput & mentum caneſcant; palpebrarum pili intermedij non caneſcunt? Reſpondeo cauſam eſſe, quia firmo denſo, & ſolido, Thorulo ſunt implantati: cumque oculi multo, & copioſo adipe veſtiantur, copioſum ex eo alimentum excipiunt: atque ex frequenti motu incaleſcunt, adde quod, docuerit naturam etiam de horum pilorum coloribus

loribus eſſe ſollicitam, quod non parum ad viſum conferant. Atque ijſdem ex cauſis ſuperciliorum quoque pili tardè admodum caneſcunt.

5 Cur deffunctorum pili non caneſcunt? Reſpondeo cauſam eſſe, quia extincto natiuo calore, alimentum tale relinquitur, quale antea erat, neque vllum de nouo attrahitur: quare mirum non eſt ſi color idem in illis perſeueret.

5 Cur Rufi citius caneſcunt, quam nigri? Reſpondeo cum Ariſtotele rufitatem eſſe pili imbecillitatem, contingit enim ex alimentorum deffectu, aut ex natiui caloris imbecillitate vt patet in pueris; qui in primo exortu, huiuſmodi colorem ſortiuntur: Imbecilla autem quæque, inquit Ariſtoteles, citius caneſcunt.

6 Cur pili qui vel pileo, vel alio tegmine operiuntur, celerius caneſcunt? Reſpondet Ariſtoteles caniciem à putrefactione ſuſcitari: Tecti autem pili citius putreſcunt, ob impeditam euentillationem, quæ putredinem arcere ſolet: Sed occurrit & alia ratio ex denſitate & ſiccitate cutis deſumpta: qui enim apertum caput, aeri exponunt, illis cutis induratur, & exſiccatur: In ſicciori autem cute, pi-

los melius conſeruari non ſemel dictum eſt.
8 Cur poſt hominem, in equis Canicies maxime conſpicua? Reſpondeo ex Ariſtotele cauſam eſſe quia os capitis multo eſt tenuius in equis, iuxta proportionem corporis, quam in alijs animalibus; cuius rei argumentum affert, quia ictus in eo loco eſt valdè periculoſus, vnde Homerus,

Et qua ſetæ hærent capiti lethaleque vulnus
Præcipue fit equis.

Ex tenuiore igitur oſſe, magna pituitæ copia, effluens in cutem, pilis huiuſmodi colorem imprimit.

***

CAPVT

CAPVT XXXII.

1 *Subitæ caniciei varia teſtimonia & quæ illius cauſa.*

2 *Cur in parte dextra pili diuerſi coloris ab ijs qui ſunt in ſiniſtra nonnunquam erumpant.*

3 *Cur pili à primo exortu quibuſdam magis nigricant quam procedente tempore.*

4 *Cur pili in homine neque virides neque purpurei fiant.*

5 *Cur canicies aliquando à cuſpide aliquando à radice inchoatur.*

6 *Cur curæ, mærores, frequens meditatio, caniciem accelerant.*

CErtum eſt ſubitã caniciem permultis contigiſſe; nam præter eas authoritates quas ſupra retulimus, occurrũt permultæ aliæ, Cælius Rhodig. Antiq. lect. lib. 3. cap. 24. non ægritudine ſolum (inquit) incaneſcere hominem contigit, verum etiam repentino mortis diſcrimine; quod eueniſſe cõpertum eſt, cuidam e rupe pendenti, dum Accipitrum pullos ſcrutaretur, interimque

funes, quibus ſuſtinebatur, diſſiluiſſent. Hadrian. Iunius cap. 10. commen. de Coma noui qui è naufragio, præter ſpem ſalui enatauerunt, repente canos euaſiſſe. Idem referũt de Ludouico Bauaro imperatore qui poſt occiſam Mariam Brabantinam coniugem, nocturnis ſpectris perterritus, vna nocte, totus incanuit. Sed & domeſtica noſtri ſæculi habemus exempla: Etenim ab amico fide digno accepi, ante paucos annos, nobilem quendã virum, vna nocte, ex altera capitis parte incanuiſſe, & poſt aliquot dies; aliã quoque partem, eandem mutationem vnica nocte ſimiliter fuiſſe expertam: cum tamen, neque metus, neque vllum aliud animi pathema, præceſſiſſet: Quare duo examinanda occurrunt; alterum, quæ ſit cauſa ſubitæ caniciei, alterũ quomodo vna pars, incaneſcat ſalua alia, ſeu quod in idem incidit; quid cauſæ eſt, cur in parte dextra, pili ſint diuerſi coloris, ab ijs qui ſunt in parte ſiniſtra; ſicut in pleriſque animaduertimus.

Itaque quod ad primum attinet; ſubitæ caniciei cauſa communiter in metum, horrorem, & ſubitam animi conſternationem, ſolet referri; & ſanè meritò; ſiquidem in magnis illis animi motibus, cor maximè afficitur,

tur,

tur, ac propterea ſicut belli tempore, principes, duces,& primates regni, ad regem confugiunt, vt ipſum tutentur, & deffendant, ita per hæc pathemata agitato corde,ſanguis, & ſpiritus, ad illud confluunt; externaſque partes deſerunt; vnde cutis, omnium partiũ extima,ſuo colore, & ſpiritu deſtituta, refrigeratur,& conſtrigitur; cuius rei argumentũ etiam illud eſt, quod pili tum erigantur, vt doctè expreſſit Poëta,

Arrectæque horrore comæ;

Obſtupui ſteteruntque comæ.

Huiuſce enim erectionis cauſa, non videtur eſſe alia, quam quod cutis refrigerata coarctetur; coarctata enim, arctiùs radices pilorũ conſtrigit,eoſque attollit,eo modo, quo ſi baculum terræ infigas; terramque vndique colligas: & collectam ad baculum comprimas: efficies vt magis erigi poſſit,quam ſi terra minus eſſet coacta,itaque cutis ſenilem diſpoſitionem nacta,ſuoque calore defraudata, conueniens alimentum, pilis ſubminiſtrare non poteſt;vnde canicies conſequitur. Adde quod etiam fuligines illæ, quæ pilos vario colore tingebant, frigore cutis repercuſſæ, ad interiora recurrant.

Quoniam autem nonnunquam ſubita ca-

nicies contingit abſque violentis illis animi motibus. Dico alias eiuſdem cauſas poſſe aſſignari: nempe effluxum pituitæ, quæ è cerebro, per ſuturas, in pericranium fuit effuſa; aut debilitatem natiui caloris, qui in interiores partes ſe colligit, externaſque deſerit, tanquam minus neceſſarias: aut etiam debilitatem maximam ipſius cutis.

2 Quod verò ad aliam Quæſtionis partem attinet; cur canicies vnam partem inuadat, intacta alia; ſeu in vniuerſum quid cauſæ ſit, cur in dextra capitis, & barbæ parte, diuerſus ſit color à ſiniſtra. Dico naturam de indiuiduorum duratione ſollicitam, omnes partes corporis, duplices feciſſe: & veluti duo animalia, dextrum, ſiniſtrumque, in vnum coniecisſe; vt ſi vna in parte ſenſus, motus, aut aliæ functiones intercidérent, eæ integræ in alia permanerent: Dum enim vnus oculus, auris, brachium perit, altero oculo, aure, brachio, vita ſeruatur: cum autem huiuſce duplicitatis finis ſit, vt diuturnior vita indiuiduis conſeruetur id curauit natura, vt maxima eſſet communicatio, inter partes eiuſdem, potiuſquam inter partes diuerſi lateris; in cuius rei confirmationem varia adduximus experimenta, cap.18. Ergo, ſi cui iecur calidius eſt;

Is in

Is in parte dextra prolixiores, & copioſiores effundet pilos,aliaque caloris ſigna proferet: Cui vero cor erit calidius, is pariter in ſiniſtra parte caliditatis quoque ſigna exhibebit. Addo etiam, ex peculiari cutis vitio, nonnunquam contingere vt veluti floſculi quidam incani erumpant, quia ſcilicet cutis cui ſubiacent illi pili, craſſior eſt, & vitiliginoſa.

3 Cur pili,à primo exortu, magis nigricant, in quibuſdam, quam procedente tempore. Reſpondeo cauſam eſſe,quia nigredo pili,cõtingit ex abundantia, & coctione alimenti,vt ſupra demonſtratum eſt:eum autem fætus vtero geſtaretur, calor naturalis pili, adiutus blando, & miti calore, matris, plus alimenti alliciebat, allectumque melius excoquebat.

4 Cur pili hominis neque viridi,neque purpureo colore imbuuntur.Reſpondet Cardanus, cauſam eſſe quia pilus eſt denſa ſubſtantia &craſſa;neque lucis capace verum Scalig. Exer. 114 hoc reſponſum multis rationibus inſectatur, ac primò quia pilus, non eſt denſior, aut craſſior, metallicis, vel lapillis, vel Gemmis,in quibus color viridis perſæpe conſpicitur: præterea eodem modo ſe habent ſquammæ,in ſquammatis animalibus;& pennæ in pennatis, quo pili in piloſis: Atqui

ſquammæ rutilant in Iecorino, Mulo, Pagro, & alijs; Pennæ vero vireſcunt, in Pauone, Pſittaco, Pico, Galgulo, Indis paſſerculis, qui ita virides ſunt, vt ſmaragdorum fulgores æmulentur. Tertio maior requiritur lux, in albo, & flauo, capillo, quam in viridi; atqui dẽſitas pili, non impedit quo minus illos colores ſortiatur: Ergo eadem non impediet quo minus vireſcant, accidit quod pili quorundam animalium vireſcant, vt patet in ſimia. Ergo ad propoſitum problema reſpõdet idem Scaliger, pilum nihil aliud eſſe, quam plantam; ac propterea, ſicut quiuis color non competit cuilibet ſpeciei plantæ; ita nec quilibet color potest humanis pilis conuenire.

5 Cur canicies, aliquando à cuſpide, aliquãdo à radice inchoetur. Reſpondeo eam caniciem, quæ ex paucitate & incoctione alimenti contingit, à cuſpide inchoari, rationi enim conſentaneum eſt, vt & calor, & alimẽtum, prius in cuſpide, quam in radice deficiant, Quæ vero ex peculiari cutis vitio euenit, aut ex effuſa ad radicem pili pituita, aut quod fuligines humorum aliò deriuentur, hæc à radice ſumit initium.

6 Cur curæ, mærores, frequens meditatio, caniciem accelerant? ratio manifeſta eſt, vt enim

enim gaudium; calorem, & ſpiritus è corde, ad externas corporis partes effundit : ita è contra Curæ, mærores, &c. calorem,& ſpiritus, ad internas partes reuocant, Quin etiam frequens meditatio (vt docet Eccleſiaſticus) eſt carnis conſumptio ; per eam enim calor influens, qui functiones naturales promouere debebat; ad animales diuertit, & in ijs diſſipatur.

***

Capvt XXXIII.

1 Caluicies ex cutis vitio & deffectu alimenti ſuſcitatur.

2 Eadem ex vitioſi ſucci permiſtione & virtutis informatricis deprauatione contrahitur.

3 Poſſe virum calueſcere extra venereorum vſum quamuis aliter Hippocrate & Ariſtoteli viſum ſit.

4 Neque etiam mulieres caluiciei eſſe immunes cōtra eoſdem.

5 Conciliantur duo loca Ariſtotelis quæ prima fronte ſibi contradicentia videntur.

Ex his quæ ſupra ſcripſimus de Pilorum cauſis, in vniuerſum, facilè eſt colligere, quid de caluicie dicendum ſit; Etenim cum cōſtet ad pilorum productionem, primo loco neceſſariam eſſe cutis diſpoſitionem, tum in primis, tum in ſecundis qualitatibus, deinde conuenientem materiam, ex qua ipſi coagmententur, vtile ſcilicet excrementum, tertiæ coctionis, partium ſolidarum: ac poſtremò virtutem formatricem, vna cum debita temperie ſubie-

ſubiectarum partium, & earum potiſſimum, quæ cum piloſa parte rectitudinem & communitatem habent. Hæc, inquam, cum ita ſe habeant: Dicendum eſt in vniuerſum, caluicium contingere ex deffectu alicuius cauſæ, ex ijs quas enumerauimns, ſiue ea præcipua ſit, ſiue coadiuuans, tantum, & minus præcipua. Itaque primò contingit caluicies ex cutis vitio; tum in primis, tum in ſecundis qualitatibus, vt fuſe demonſtrauimus capite 4. Secundo accidit caluicium ob conuenientis alimenti deffectum, eſt enim illud (vt ſupra ex Ariſtotele docuimus) ſimile defrondationi arborum, quam quidem accidere ex deffectu humidi pinguis, ſuſtinentis, & alentis folia, id fidem facit, quia plantæ reſinoſæ, quæ plurimo humore pingui abundãt, nunquam defrondeſcunt.

Similiter ſues, docente Ariſtotele, in problem. hybernum pilum non amittunt, quia multam pinguedinem cuti ſuppoſitam habent. Idem variis in locis docet Galenus, nam Aphoriſmo 11. ſect. 5. docet defluuium illud capillorum Ethicis ſuperueniẽs Lethale eſſe quia denotat maximum alimentorum deffectum: Et in deffinitionibus medi. & hãc & ſuperiorem cauſam, caluiciei agnoſcit,

Calueſcunt, inquit, *homines duabus de cauſis ob ſiccitatem exſuperantem & conuenientis alimenti deffectum.*

2 Ob vitioſi quoque ſucci permiſtionē frequenter contingit caluicium aliorumque pilorum defluuium; vt in Alopecia, Ophiaſi, Lue venerea, Elephātiaſi, Tinea, & alijs conſimilibus: ac propterea docet Hippocrates vlcera illa eſſe peſſima, quæ circum glabra ſunt, quod, vt Galenus interpretatur, ſignum ſit prauos & vitioſos humores, in affectā partem confluxiſſe, qui pilorum alimentum depaſcantur. Hoc ipſum eleganti ſimilitudine demonſtrat Galenus 1. de compoſit. medica. ſecum. loc. ex plantis deprompta, quam ſupra poſuimus in Analogia plantarum, & pilorum: narrat quoque eodem in loco, iuuenem quēdam boni habitus, & exercitijs aſſuetum, ob prauam victus rationem, & fungorum vſum; In defluuium capillorum incidiſſe, qui ſolo vſu ciborū Euchimorum ſanitati priſtinæ fuit reſtitutus.

Accidit item caluicium ex deprauatione virtutis informatricis vti oſtenditur ex Aphrod. in prob. vbi aſſerit calueſcere permultos, vitio ſui generis: Et ſane videmus nonnullos caluos euadere, in quibus tamen cutis bene

bene ſe habet, neque apparet aut boni alimenti deffectus, aut vitioſi ſucci prouentus ac propterea, huiuſce caluiciej cauſa non videtur alia aſſignanda, quam quod virtus informatrix, cuius munus eſt pilos certis in partibus producere, languidior facta: functionem ſuam non poteſt exerere. Accedit quod vt ſupra ex Galeno docuimus pili capitis ſunt maximè ex inſtituto naturæ, ſuntque facultatis informatricis opus, Ergo eorum deffectus ex vitio informatricis ſuſcitabitur.

3 Itaque duo, tum in Hippocrate, tum in Ariſtotele notanda videntur, alterum, quod ante venereorum vſum calueſcere neminem decernant; Alterum quod mulieres caluiciei immunes faciant. Ac quod ad primum attinet, Hippocrates lib. de natura pue. quia vidit Eunuchos nunquam calueſcere, & ex alijs quoſdam tantum, opinatur cauſam caluiciei eſſe certum temperamentum, ſimul cũ effluxu ſeminis: Ariſtoteles vero 5. de Generatio animal. cap. 3. ſic ſcribit *Quãobrẽ nemo antequã coire incipiat calueſcit; ſed a venereo coitu potius id euenit*; quod ipſum alijs in locis frequenter repetit. Cæterum rem aliter ſe habere, poſſeque virum extra venereorum vſum calueſcere, & experimenta, & rationes

con

conuincunt: Occurrunt enim permulti, ſpe-ctatæ probitatis viri; qui voluptates illas cane peius, & angue deteſtantur: qui tamen caluicio tentantur. ac præ cæteris Diuus Paulus, cuius apud omnes indubitata eſt caſtimonia, fuit recaluaſter, vt patet ex Luciano in Philop. vbi Triephon, Critiam cathecumenum inſtituens, ſic loquitur *Quando me Galilæus ille conuenit, recaluaſter, naſo aquilo, qui tertium vſque ad cælum, per aerem ingreſſus eſt; quæque optima, & pulcherrima ſunt, inde didicit; per aquas non renouauit*, &c. quibus verbis deſcribi Diuum Paulum, nemo ambigit, quem Galilæum vocat, quia in primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus, ſic per deriſum Chriſtiani appellabantur. Contra autem permulti ſunt fædis illis voluptatibus inhiantes, qui tamen calui nuſquam euadunt. Sed cum caluicies vt ſupra docuimus, ex varijs cutis affectibus, ex alimenti deffectu, vitioſique ſucci permiſtione, poſſit ſuſcitari: quis non videt, extra venereorum vſum, huiuſmodi diſpoſitiones poſſe induci. Et ſane ratio qua Ariſtoteles ſuum placitum aſtruere nititur, rectè quidem demonſtrat, eos qui venereis nimis addicti ſunt, calueſcere aliquando non tamen ita vt fieri debeat reciprocatio: eos omnes qui calueſcunt.

cunt.

cunt, venereis eſſe addictos: rationem Ariſtotelis ſubjicio.

Cum enim cerebrum inquit *frigidiſsimum omnium corporis partium ſit, tum rei venereæ vſus refrigerat, caloris namque ſynceri, naturaliſque ſecretio eſt: Itaque cerebrum ſentit merito prius, quæ enim imbecilla, vitioſaque ſunt: cauſa parua, exiguoque momento immutantur: quapropter ſi quis cogitet, vt & ipſum cerebrum, parum calidum eſt, magiſque talem eſſe obductam cutem neceſſe eſt: atque etiam magis naturam pilorum, videlicet quãto plus ipſa caloris origine diſtet, rectè id ita euenire exiſtimabit, vt qui ſemen ferant, ea ipſa ætate calueſcant, qua ſemen emittant*, vides vt tota hæc ratio in eo ſit, quod cum cerebrum, inſito temperamento, frigidum ſit, per vſum venereorum, in quibus fit caloris naturalis, & ſynceri excretio, magis refrigeretur & ex refrigeratione ſequatur caluicies: ſanè id admittimus; ſed cum alijs quoque ex cauſis cerebrũ poſſit refrigerari; non videtur facienda reciprocatio, vt qui calui ſunt venereis ſint addicti.

4 Quod vero ad mulieres attinet, ſcribit eodem in loco Ariſtoteles eas non calueſcere, quoniam earum natura; puerorum naturæ ſimilis eſt: vtraque enim ſterilis ſeminalis ex-

crementi: Idem quoque docet Gal. ad Aphoriſ. 28. ſect. 6. *Eunuchi neque podagra laborant neque calui fiunt, Eunuchi enim inquit Gal. in com. ſimiles fœminis efficiuntur, ſicut ergo in his caluicies non accidit; ſic neque in Eunuchis propter temperamenti frigiditatem.* Sed huic quoque ſententiæ, & experimenta & rationes contradicunt; noui enim ipſe quam plurimas mulieres caluicie affectas, tum iuuenculas, tum quæ in ætate longiùs proceſſerant: quod ipſum etiam à permultis alijs fuit obſeruatum. Argen comm. 2. in artem med. Gal. *Falſum eſt inquit mulieres caluicium non pati: ſæpe enim vetulas videmus, pilis nudatum habere caput, & hoc vitium alieno crine tegere, Quod ſi forte mulieribus id accideret, non tamen ea ratione puto contingere, quod ſemen illæ non emittant, vt Ariſtoteles putauit.*

Mercurialis lib. 1. cap. 5. de morbis cutaneis *Eſt ſententia inquit Hippocratis & Galeni in Aphor. 28. & Ariſtot. 5. de Generat. anim. cap. 3. mulieres ipſas non calueſcere. Imo refert Syneſius Philoſophus in lib. de caluicio nunquam viſas fuiſſe mulieres quæ calueſcerent quanquam Albert. mag. lib. 19. de Animal. cap. 6. ſcribit ſe vidiſſe duas mulieres caluas.* Sed & ratio id ipſum manifeſte ſuadet, cum enim caluicies, ijs ex cau-

ſis

ſis contingat, quas ſupra expoſuimus; quis non videt, eas quoque in mulieribus locum habere poſſe. Ratio autem Ariſtotelis, in duobus manca eſt: tum quod præſupponat, extra ſeminis effluxum, caluicium nuſquam cõtingere: tum quod mulieribus ſeminis effluxum adimat: cum tamen plerique omnes medici; nec non & permulti nobilioris notæ Philoſophi, fæcundum ſemen, in fæmina, non minus quam in viro agnoſcant.

Itaque ſicut Galenus in ſupra dictum Aphoriſmum *Eunuchi neque Podagra laborant neque calui fiunt*, ſcribit, Hippocratis quidem temporibus Eunuchos podagra non laboraſſe: ſuis autem, id verum non eſſe, propter immodicum otium, & victum intemperantem: in quam ſententiam ſic etiam ſcribit Senec. lib. 5. Epiſt. 95. *Mulieres, cum virorum licentiam æquarint, corporum quoque virilium vitia æquarũt; neque enim minùs peruigilant, non minùs potant; & oleo, ac mero, viros prouocant: atque inuitis ingeſta viſceribus, per os reddunt, vinúmque omne vomitu rejiciunt: atque niuem rodunt ſolatium ſthomaci æſtuantis: libidine vero ne maribus quidem cedunt: Quid ergo mirandum eſt, maximum medicorum, ac naturæ peritiſsimum, in mendacio prehendi: cum tot fæminæ podagricæ ſint; beneſi-*

cium ſexus ſuis vitijs perdiderunt, & quia ſe fæminam exuerunt damnatæ ſunt morbis virilibus. Simili forte ratione, dicere poſſemus, eiuſdem Hippocratis, nec non & Ariſtotelis, & Galeni temporibus, mulieres caluicio non laborauiſſe: Poſterioribus autem ſæculis illas hãc immunitatem perdidiſſe: quod tamen, neque ad luxum, neque ad vllam intemperantiam auſim referre; cum plurimas, probas, & honeſtas mulieres, caluicio tentatas ſæpius obſeruauerim.

5 Poſſet etiam quiſpiam in Ariſtotele id notare quod 5. de Generat. Animal. cap. 3. ſcribat ideo ſolum hominem calueſcere, quod maximum humidiſſimumque cerebrum habeat: at vero problem. 54. ſect. 10. ſcribit Spadones, mulieres, & pueros, non calueſcere: quod multum cerebri obtineant, eo quod ſemen non emittant, ad cuius conſtitutionem cerebri portio, per ſpinam delabens, debet concurrere: Sane hæc primo ſibi ipſis diſſona apparent, vt maxima cerebri, copia ſit cauſa, cur vnicus homo inter animalia calueſcat; & eadem cerebri copia, ſit cauſa cur ſpadones, mulieres, & pueri non calueſcant. Cæterum hæc forte conciliari poterunt; ſi duplex humidum in cerebro diſtinguamus: vnum pitui-

toſum, aqueum, & incoctum, aliud ſubſtantificum & alendis partibus maxime familiare: vnicus igitur homo, ex omnibus animalibus ideo caluefcit, quia cum copioſum cerebrum obtineat, dum rebus venereis incumbit, illud magis refrigeratur, vt ſupra ex eodem Ariſtotele retulimus, ac propterea plurimum crudi illius & incocti humoris congerit; quo cum pilus ſuſtentari non poſſit, contabeſcit & defluit: in ſpadonibus vero ſemen retentum multo ſpiritu & calore perfuſum, frigidam illam cerebri intemperiem emendat; neque decidit portio illa humoris ſubſtantifici, quæ è cerebro ad ſeminis productionem demandatur, ac propterea cerebrum multo calore & ſpiritu atque humido ſubſtantifico abundans, copioſum alimentum pilis ſuppeditat: Itaque copia cerebri refrigerati & incocto humore pleni, caluiciei cauſa eſt: eiuſdem autem bene affecti copia, & multo ſpiritu perfuſi, caluicium prohibet.

CAPVT XXXIIII.

1 *Cur Syncipite, potius quam vel occipite, vel temporibus, calueſcat homo.*

2 *Cur caluus repileſcere non poteſt.*

3 *Poßint ne calui, apertis varicibus repileſcere.*

4 *Cur cæci à natiuitate, non calueſcant.*

5 *Cur; cum cæteri pili in ſenibus contabeſcant, ſupercilia ſola hirſutiora euadant.*

SEd iam ad quædam problemata de caluicio accedamus: Quæres igitur primo, quid cauſæ ſit, cur homo potius ſyncipite calueſcat; quam vel temporibus, vel occipite: his enim partibus calueſcere nemo viſus eſt. Varias rationes colligo tum ex Ariſtotele, tum ex Galeno: ac primam quidem ex 5. de Gener. Anim. cap. 3. vbi cum docuiſſet Ariſtoteles, Ex immodico veneris ſtudio, ſequi refrigerationem cerebri; & ex refrigeratione, caluicium; ita ſubiungit. *Eadem cauſa eſt, vt & priore capitis parte calueſcant, & vt hominibus ſolis, omnium anima*

animalium, id eueniat; Quod enim parte priore cerebrum continetur; hinc ea parte calueſcimus. quibus ex verbis colligimus ſuppoſiti cerebri frigiditatem, cauſam eſſe, cur ſynciput calueſcat. Verum quamuis natiui caloris debilitas, ad inducendam caluiciem, nonnunquam concurrat, non tamen poteſt eſſe præcipua; nedum totalis illius cauſa, Etenim pili congeniti, cum ſint maximè ex naturæ inſtituto, atque ex Opificis induſtria, vt loquitur Galenus, ſuſcitentur; non defluunt, niſi per inſignem aliquam & maximam intemperiem. At qui, permultos caluos videas, in quibus contractæ illius intemperiei, quam incuſat Ariſtoteles, nullum ſignum deprehendas: motus enim, & ſenſus, tum internos, tum externos bene expeditos obtinent, quos tamen torpere, & langueſcere neceſſe eſſet; ſi inſignis frigiditas cerebro eſſet impreſſa, neque enim, cum Ariſtotele, hunc vnum cerebri vſum agnoſcimus, vt cordis æſtus temperet, ad nobiliores enim functiones exerendas deſtinatum eſt.

Adde quod, cum tempora, & occiput, cerebrum etiam contineant; deberēt ſane illa, ſaltem per extremam ſenectutē calueſcere, Atqui vt ſcribit idem Ariſtotel. 3. de Hiſtor.

cap. 11. *parte poſteriore caluus nemo efficitur.*

Aliã rationẽ frequenter inculcat Galenus, maximam, nempe, huius partis ſiccitatem, per quam occaleſcens cutis, retinendis pilis fit inutilis; Oritur autem inſignis illa ſiccitas, ex eo quod cutis ſyncipitis, nudo oſſi, nulla interiecta carne adhæreat; quod ita decebat, quia cum geſtandis oneribus fuerit deſtinata ea pars; exquiſitior ſenſus, fuit ipſi, ſubtracta carne ſubtrahendus; alioquin vel minimo onere ſuperpoſito, ſtatim indoleſceret. Sed neque hæc ratio omnino ſatisfacit; quamuis enim in nonnullis, locum habeat, permultos tamen caluos exploraui, & cutem ſyncipitis attrectaui, neque occaleſcentem illam, & teſtaceam cutem deprehendi, quin imo, in ſiccitate, parum à cæteris partibus capitis diſtare videbatur; adeo vt in mediocrem illam ſiccitatem; aut parum à mediocri recedentem, caluiciei cauſam referendam, non iudicandum videatur, cum ſcribat Galenus, Æthiopes, ob inſignem cutis ſiccitatem, nuſquam calueſcere. Adde quod, cutis occipitis, non minus nudo oſſi ſuperiacet, quam cutis ſyncipitis; imo oſſa quæ in Occipitio ſunt firmiora ſunt, multoque ſolidiora, anterioribus: cum enim poſteriores partes, ijs præſidijs

dijs careant, quibus anteriores fulciuntur; iuſta natura illas firmis, & ſolidis oſſibus, obuallauit; ac propterea cutis, ipſis ſuperpoſita, potius deberet occaleſcere, nunquam autem viſa eſt calueſcere.

Tertiam rationem colligo ex problemate citato 54. ſect. 10. vbi docet Ariſtoteles, Spadones, pueros, mulieres, nunquam calueſcere; quia multum cerebri obtineant; quodque, vti ſupra monuimus, multo humore ſubſtantifico, plurimoque calore & ſpiritu perfuſum ſit. Vnde ſic colligo: Ergo calueſcet Syncipu, quod paucum cerebri obtineat; Atque hæc tertia cauſa, & Hippocrati, & rationi maximè conſentanea eſt, ille quidem, more ſuo, paucis multa complectens, 6. Epidem. fere ſtatim initio ſic habet *cerebri conſumptio, ideo & caluicies.* in quem locum ſic ſcribit Galen. *mihi quidem iſtud ſignificare videtur, cum cerebrum ſe ipſo, longè minus euadit, iſtud vero ipſum naturaliter ſiccius habentibus euenit, tunc ab oſſibus ſuperiacentibus recedit, quæ ab artis diſſectoriæ profeſſoribus, βρέγματα vocantur, Latini Syncipur dicunt.* Cur autem ſubſidens in ſuam baſim cerebrum, à ſyncipite potius recedat, quam ab occipite, cauſam non reddit: mihi vero duæ potiſſimum occurrunt prima quod multo

maior cerebri copia,eiuſque humidioris, & mollioris; ſyncipite,quam occipite contineatur, altera cauſa eſt quia motus ille Syſtoles, & Diaſtoles; quo cerebrum perpetuo cietur; multo manifeſtior eſt in ſyncipite, ac propterea natura voluit,aliquod interſtitium inter os, & cerebrum ponere, ne in perenni illo motu, cerebrum ad caluariam allidens,attereretur: Dum igitur per ſiccitatem ſubſidet, magis recedit ab ea parte, à qua iam antea recedebat. Ex quibus facile eſt colligere, quid cauſæ ſit, cur neque occipite, neque temporibus quiſquam calueſcat, ſubſidens enim ſuam in baſim cerebrum, ad illas partes potius accedit, quam ab ijs recedat.

2 Cur, cum caluicium,reſpondeat arborum defrondationi,& piſcium deſquamationi,calui pilos non reſumunt, ſicut arbores defrondatæ, adueniente vere, frondes rurſus aſſumunt, & piſces deſquamati,rurſus ſquammis veſtiuntur: Addo etiam cætera animalia piloſa, cum pilos depoſuerunt, rurſus nouos emittunt, ſicut & aues depennatæ rurſum pennas producunt. Reſpondet Ariſtoteles cauſam eſſe, quia ætates non redeunt ſicut tempora,quibus verbis ſignificat,mutationes illas in arboribus,piſcibus,& alijs;contingere

ex

ex annua tempeſtatum diuerſitate, quæ cum ſtatis tẽporibus,& periodis recurrãt,recurrũt pariter & illæ. At vero caluicies,homini accidit,ex ætatũ mutatione : Itaque cum non detur regreſſus à ſenili ætate, ad iuuenilem, ſicuti fit regreſſus, ab hieme in ver,& æſtatem, ideo caluus repileſcere non poteſt.

3 Poſſunt ne calui apertis varicibus repileſcere? Ita quidem placuit Hippocrati, & Ariſtoteli. Cæterum, vt benè monet Galenus, id non ſimpliciter pronunciandum eſt, Si enim caluicies his ex cauſis,quas hoc capite recenſuimus, ſumat initium,nempe frigiditate cerebri,ſiccitate cutis, & diminutione eiuſdem cerebri:tantum abeſt, vt caluus repileſcat,ſuperuenientibus varicibus;vt potius illis fluẽtibus magis intendantur cauſæ caniciei ; ſin autem exvitioſis humoribus,ad pilorum radices appellentibus, eaſque corrumpentibus, accidat caluicies; illis ad varices deriuatis,natura ſibi relicta,in priſtinam pilorum generationem incumbet.

4 Cur cæci à natiuitate non calueſcunt?Proponit hoc problema. Ariſtot. ſect. 30. prob.6. Reſpondetque cauſam eſſe, quia cæcitas ab ortu contracta, indicat magnam humoris copiam, in cerebro ſubeſſe, eo enim redundante,

te, oculi maximè infeſtantur, ac propterea vt inquit idem cum fluxiones ad oculos diuertunt, venas temporum ferro candente medici tangunt; quo humoris foramina obcæcentur, atque ſpiſſeſcant; Caputque diſſecta cute obſcalpere conſueuere; Cum igitur capilli humoribus illis nutriantur, nuſquam deffi- ciunt, ob maximam ſuppoſiti alimenti copiam. Cæterum non video quomodo hæc cohærere poſſint, cum ijs quæ eodem in loco habentur, *Cum igitur* (inquit) *humor excreſcens vacanſque in capite, oculis detrimento ſit, fieri poteſt vt minus humoris in Caluaria ob id ipſum conſiſtat, quia magna parte lapſus in oculos eſt*, Hæc inquam cohærere non videntur, quod cæci non calueſcant ob maximã humoris copiam, Et quod in caluaria minus ſit humoris, quia in oculos lapſus eſt; niſi forte dicamus duas propoſiti problematis cauſas aſſignari; nempe copiam humoris ſuppoſiti; qui cum ab ortu inſitus ſit, non eſt adeo mordax vt pilorum radices corrumpat. Quod ſi per ætatem malignus aliquis humor coaceruetur, qui pilos poſſet corrumpere, is in oculos deriuatur, ac propterea non efficit Caluicium.

5 Cur, cùm in ſenibus cæteri pili contabeſcant, & defluant; ſola ſupercilia magis creſcunt,

çunt, & hirſuta euadunt, adeo vt tonſura egeant. Reſpondet Ariſtoteles cauſam eſſe, quia ſupercilia cohæſioni oſſium ſuperpoſita ſunt; Itaque ſicut in antiquis ædificiis, parietes, ob ſiccitatem rimas agunt ſic oſſa capitis, in ſenibus, eandem ob cauſam, dehiſcunt ea potiſſimum parte qua inuicem cohærent, cum igitur maior alimenti copia, per apertos meatus, ad ſupercilia appellat; melius nutriuntur, magiſque excreſcunt pili. Sed rurſus quæret quiſpiam, cur igitur pili Syncipitis, eandem ob cauſam, in ſenibus non magis luxuriant, multo enim patentiores ſuturæ, ea in parte conſpiciuntur, & tamen in ea ſola, caluicium accidit. Reſpondeo cauſam patere ex ſuperioribus; cum enim in ſenibus, membra omnia areſcant, areſcit multo magis cerebrum; multoque minus euadens, in ſuam baſim ſubſidet, & ab oſſibus ſyncipitis recedit; ac propterea quantumuis pateant meatus, non poteſt conueniens alimentum, ad pilorum radices appellere: Cum autem ſupercilia, ad Cerebri baſim proprùs accedant, plus alimenti à cerebro ſubſidente hauriunt, magiſque excreſcunt.

Capvt

Capvt XXXV.

1 *Variæ cauſæ duritiei pilorum, triplex diſcrimen inter pilos ouium, & hominum ratione duritiei.*

2 *Cur pilorum alij breuiores, alij longiores proueniant.*

3 *Explicantur variæ criſpitudinis cauſæ, ex Ariſtotele & Galeno.*

SVnt & aliæ pilorũm differentiæ, quas Ariſtotel. 5. de gener. Animal. cap. 3. enumerat. *Differentia vero pilorum* inquit *exiſtunt duritie, mollitie; longitudine breuitate: rectitudine criſpitudine: multitudine paucitate.* De his igitur in præſentia ſupereſt nobis diſſerendum. Ergo quod ad primam differentiam pertinet, docet Galenus 5. de Simplic. Medicam. Facultat. cap. 4. Durum tribus modis dici; primo quod vehementer ſiccum eſt, atque terrenum, ſiue natura tale euaſit, vt lapis, ſiue ab externis cauſis, vt à nimio calore, humidum euocante, & alijs ſimilibus. Secũdo, durum dicitur, quod plenum, diſten

diſtentúmque eſt, largioris humoris affluxu; vt vter aqua, aut flatú plenus. Tertio quod frigoris vi concreuit. Pili igitur, tribus iſtis modis duri ſunt: ac primo quidem ratione ſiccitatis, quía ad ipſorum generationē (vt iam non ſemel dictum eſt) neceſſarium eſt terrenum craſſamentum, multo humido pingui dilutum; ac propterea, ſi vel ab intenſiore calore interno, vel à nimio aeris ambientis ardore, humidum illud digeratur, & euaporetur; aut eiuſdem acceſſus ad pilum prohibeatur, multo ſiccior euadet ille, quod terrea portio, in illius productione præualeat, quam doctrinam colligo ex Ariſtotele problem. 22. ſectio 10. vbi quærit, quid cauſæ ſit, cur ouibus expilatis mollior pilus ſubnaſcatur, hominibus autem durior. Reſpondetque cauſam eſſe, quia cum ouium pili ſummæ cuti inhæreant, neque altius radices figant, abſque vlla violentia poſſunt eximi; ac propterea meatus integri permanent, imo & patentiores euadunt: ex quibus dum molle, & dulce pabulum (quod eſſe proprium carnis alimētum ſtatuit) erumpit, vellus eo perfuſum mollius erumpit. Hominum autem pili, cum profundiores agant radices, non poſſunt niſi per ſummam vim euelli, quod ex eo conſtat, quia quan

quandoque ſanguinem ſecum detrahunt: Corpore igitur ſaucio, euenit vt tandem cicatrix obducatur; vnde fit, vt vel pili amplius promendi finem faciant; vel quandiu prætereà promere poſſint, duri extrudantur quod ſcilicet, obſtante cicatricis denſitate, dulce illud, & pingue pabulum, non poſſit erumpere, ad diluendam terream portionem pili. In cuius rei confirmationem, hoc affert indicium, quia pili eorum, qui meridionalem plagam incolunt, duri ſunt, eo quod, calor exterior, altius corpus ſubiens, humidum illud pingue, & alimentitium, abſumit: Contra autem, pili eorum, qui ſub Aquilone incolunt, molles ſunt, quod his ſanguis dulciſque ſapor, per ſummam potius fluitat formam, vnde & his color quoque hilarior eſt.

Similiter ſequenti problemate, docet ouium pilos, eo duriores euadere, quo prolixiores, hominum contra, eo molliores quo prolixiores: quod in ouibus, pilorum alimentum prius euaporetur, quam ad partes, à radice remotiores, poſſit appellere, ex quo defectu ſiccitas, & ex ſiccitate durities. At vero pili hominum, firmiores, & robuſtiores, plus alimenti initio hauriunt, quod cum nondum coctum ſit, duriorem pilum efficit; Poſtea

vero

vero quam, per ſingulas partes, longioris pili diſtributum eſt, quoniam minus eſt reſpectu plurium partium in longiori pilo alendarum hoc melius, & perfectius coquitur. Huius ergo alimenti, benè cocti, & elaborati, appulſu, diſtantiores à radice partes, dum perfunduntur, molliores euadunt.

Secundo quoque modo dureſcunt pili. Etenim pili hominis, attonſi, & breuiores facti, multo duriores euadunt, quia alimentũ illud quod ad remotiores partes amandabatur, in breuiore pilo retentum, illum diſtendit, quãquam propriè loquendo, pilus ea de cauſa durior dici non debeat, ſicuti neque vter aqua, aut flatu plenus, propriè durus appellatur; Sed potius tenſus ac renitens, vt benè obſeruat Galenus loco citato.

Tertia quoque cauſa, ad pilorum duritiem concurrit, Etenim ad conſummatam illorum productionem, neceſſarium eſt externum frigus, quod ipſorum materiam, condenſet, & ſigillet, atque conuenientem duritiem imprimat: ac propterea radix pili, quam externus aer non attingit, mollior eſt, & humidior, alijs partibus quæ à cute ſe exerunt, aerique expoſitę ſunt. Sed & hoc loco notanda eſt tertia differentia inter pilos ouium & hominum ra-

tione duriciei, ſiquidem pili hominum, qui frigidiores plagas incolũt, molles ſunt, & ſimplices, eorum autem qui ſub calidiore cælo degunt, duri ſunt, & criſpi, At vero oues Sauromaticæ, & aliarum regionum in quibus aer frigidior eſt, duriorem pilum gerunt, in calidis vero regionibus, eundem mollem obtinent. Huius diuerſitatis rationem reddit Ariſtoteles 5. de gener. Animal. cap. 3. quia in brutis ob agreſtem vitam, & loci frigiditatem, cutis terrena, duraque euadit, frigus enim cogendo, & comprimendo corpus, humidum exprimit, cuius rei argumentum affert quia Echini marini, qui in frigidiore pelago degunt, ipſi quidem exiqui ſunt, ſed aculeos grandes, duroſque gerunt, quique lapidis pene modo rigidi ſunt, propter frigus, & gelu, ſimiliter, & ea quæ in terra producuntur, duriora, & terroſiora, lapidoſioraque, gignuntur locis aquiloniis, quam Auſtrinis: At vero homines, qui feram illam, & agreſtem vitam, non degunt, varijſque operimẽtis, externas aeris iniurias propulſant; ideo ad huiuſmodi ſiccitatem & indurationem non poteſt deuenire ipſorum cutis: Atque cum calor naturalis, ab externo frigore, in interiora repercuſſus, coctionem fælicius promoueat,

ideo

ideo in frigidioribus regionibus maiorem ſã-guinis copiam obtinent, quæ in ſuperficiem effuſa molliores pilos efficit, in his autem, qui ſub calidiore cælo degunt, calor internus, ab externo, in ſuperficiem corporis euocatur, & euaporatur, vnde incoctio, & paucitas ſanguinis, & humorum ad nutritionem pili neceſſariorum, qui etiam ſi ad pilorum radices appellant, à calore externo digeruntur, ac propterea duriores euadunt.

2 Quod vero pertinet ad aliam pilorum differentiam, quæ eſt ratione longitudinis, & breuitatis; putat Ariſtoteles loc. cit. eam ex diuerſitate alimenti dependere, *Quin etiam,* inquit, *vt pili longiores, breuioreſve ſint, cauſa eſt, quod humor qui euaporatur, non facilè exſiccari poteſt, cauſa vero ne facile exſiccetur, duplex eſt ſcilicet quantitate, & qualitate; nam ſi humor, aut multus aut pinguis eſt, non facile exſiccari poteſt,* verùm non omnino ſatisfacit, hæc ratio, Etenim multi ſunt pili, quibus copioſum alimentum ſuppoſitum eſt, qui tamen breuiſſimi ſunt vt ſunt potiſſimum pili ciliorum, & ſuperciliorum, atque etiam alij qui artubus ſunt implantati & quamuis à ſola alimenti quantitate, aut qualitate, deſumenda eſſet illa differẽtia, adhuc tamen quæri poſſet, quid cauſæ ſit,

cur maior alimenti copia, in hac parte, minor in illa ſubeſſet: Dico igitur totam iſtam diſpoſitionem, à facultate informatrice dependere, hæc enim ad vniuerſi corporis fabricam, ſe habet, vti Architectonicus, ad palatij conſtructionem, vt enim is præſcribit hoc loco, hoc ordine, diſtantia, ſitu, &c. fundamenta, parietes, tectum, diſponenda: ita virtus informatrix deſignat, vt in equo, verbi gratia, pili prolixiores erumpant, in collo, cauda, &c. Homini vero nulla Iuba data eſt vt ſcribit Ariſtoteles problemat. 25. ſect. 10. quia eadem virtute ordinante, materia illa, quæ in brutis ad iubæ conſtitutionem demandatur, ad maxillas deriuatur: Cornuta vero animalia, aut nullam, aut multo breuiorem iubam obtinuerunt, quia iubarum materia in cornuum productionem abſumitur; Ergo ad longitudinem, vel breuitatem pili, iſta debent concurrere, primo vis informatrix decernens, & imperans, in hac parte, prolixiores, in illa breuiores pilos collocandos, mox aliæ virtutes inferiores, & adminiſtræ, conuenientem materiam, eam in partem transferunt, denique tertio loco certi accretionis termini cuilibet pilo præſcribuntur; vt iam ſupra demonſtratum eſt.

3 Criſpi

3 Criſpitudinis quoque varias cauſas colligo, tum ex Ariſtotele, tum ex Galeno, ille quidem loco citato duas cauſas aſſignat, primam quidē diuerſum motum, diuerſarū partium, quæ pilum conſtituunt. Inflectitur, inquit, pilus quia duplici delatione fertur, terrena enim portio deorſum deprimitur, calida vero, & fumoſa exhalatio, ſurſum attollitur, cūque pilus, præ ſua imbecillitate, inflecti facile poſſit, intorquetur, quod pili criſpitudo eſt: Hanc rationem, præclara ſimilitudine ab aqua bulliente petita poſſumus illuſtrare, hæc enim duplici etiam latione fertur, nam ratione vaporis calidi, vi caloris eleuati, illa ſurſum attollitur, ob naturalem vero, & inſitam grauitatem deprimitur, atque in duplici illo motu incriſpari videtur. Alteram criſpitudinis cauſam refert Ariſtoteles, in ſiccitatē quod, inquit, in pilo parum humoris, multum autem portionis terrenæ ineſt, efficitur vt pili reſiccati ab aere ambiente contrahantur; Inflectitur enim quod rectum eſt, ſi euaporatur, & contrahitur; atque conuellitur pilus, quemadmodum cum igne aduritur, vt potè cum criſpitudo conuulſio ſit, ob humoris inopiam. Hanc eandem rationem aſſignat Galenus 2. de Temper. cap. 5. quam ètiam illu-

ſtrat ſimilitudine corrigiæ, quæ cum igne plus iuſto ſiccatur, intorquetur: Atque hæc ratio, in Æthiopibus, in quibus maximè conſpicua eſt criſpitudo, locum habet, eorum enim capita admodum ſicca ſunt, ita vt caluaria Æthiopis deffuncti ab altera poſſit, hac nota diſcerni, vt docet Herodotus in Thalia, *Ibi ego inquit rem mirãdam vidi, ab indigenis edoctus; Oſſa eorum qui in acie ceciderunt cum iacerent fuſa, vt ab initio diſtincta fuerant, ſeorſum erant Perſarum, aliorſum AEgiptiorum; Sed Perſarum capita adeo fragilia ſunt, vt ſi velis ferire, vel ſolo calculo perforare poſsis; AEgiptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas, cuius rei cauſam hanc illi reddebant (facile mihi perſuadentes) quod AEgiptij, ſtatim à pueris capita radere incipiunt, & os capitis, ad ſolem redditur compactum, quæ eadem cauſa eſt, non caluеſcendi; nam ex omnibus hominibus paucißimos quis AEgiptios caluos videat, his igitur, hoc cauſæ eſt, cur robuſta capita geſtent: At Perſis cur fragilia ſint capita id in cauſa eſt, quod à principio in vmbra nutriti, aſſueſunt operire capita, geſtantes pilea, & Tiaras.*

Tertiam cauſam affert Galenus ibidem, meatuum in quibus pili radicantur obliquitatem, quam duabus ex cauſis oriri ſtatuit, nempe vel ex debilitate fuliginis, per meatum

tum erumpentis; vel ex dēſitate cutis, ſi enim exhalatio imbecillior eſt, quam vt rectè viam ſibi moliri poſſit, pro modo quo inflectitur, etiam meatum ſuum figurat; ſi vero exhalatio ſatis valens eſt, ſed duriori cuti occurrat, non poterit rectà ferri, ſed in latus reflectetur, & obliquū tranſitum ſub cute molietur; Quales autem, inquit, in radice pili finguntur tales rationabile eſt perpetuo fore, verum hæc Galeni ratio non admodum veriſimilis apparet: videmus enim in plantis ex anfractuoſis, & obliquis radicibus, rectum ſtipitem exſurgere. Itaque forte melius alij, aliam criſpitudinis cauſam, in virtutem informatricem referunt, cum videamus, natos ex Æthiopibus, etiam in regione temperata, criſpitudine, parentes referre. Atque ex his facile innoteſcet, quid de cæteris pilorum qualitatibus ſit iudicandum.

Sed lubet totam iſtam diſputationem, curioſa quodam dubitatione, quamuis Theologica potius, quam Phyſiologica concludere: Cum enim ſacræ paginæ teſtentur, in Sanſone, abraſis capillis, virtutem illam, & inſigne robur, quo pollebat, concidiſſe, & creſcēte capillo illud rediјſſe; quæret aliquis, an in pilis Sanſonis robur illud inditum fuerit, ad quod

Reſpondeo negatiuè. Sed cum Sanſon, cæterorum Nazaræorum more, votum haberet de non tondendis capillis, quandiu votum obſeruauit; gratiam illam, & ſupernaturale robur obtinuit, eodemque voto violato, concidit, & robur illud priſtinum. Ergo vt in eo terminetur, à quo cœpit præſens diſquiſitio: Tibi Deus, optime, maxime, qui mirabilis es in ſanctis tuis; & ſanctus in omnibus operibus tuis; qui etiam in minimis maximus es, qui eligis abiecta mundi, vt confundas fortia; Tibi inquam gratiarum actio, honor, gloria, majeſtas, in ſempiternas æternitates.

***

FINIS.

INDEX CAPITVM HOC OPERE CONTENTORVM.

Caput Primum.

1 *ETiã in minimis diuina elucet prouidentia.* pag.1

2 *Galenus ex contemplatione pilorũ qui cilijs, & ſupercilijs ſunt implantati ad cognitionem Dei ſe erexit.* pa.3

3 *Non ſolum eandem magnitudinem, ſed eundem, ordinem, numerum, colorem, ferè, ſemper retinent hi pili.* pag.4

4 *Alius vſus horum pilorum ex Platonicorum ſententia, quæ à Peripateticis reijcitur.* pag.5

5 *Solus homo pilos habet in palpebra inferiore.* p.6

6 *Malè Galenus diuinam omnipotentiam materiæ conditionibus alligauit.* pag.7

Caput II.

1 *Facies virilis, neque omnino glabra, neque vndique pilis eſt obſita.* pag.9

2 *Barba, virilis maieſtatis ſymbolum.* pag. 11[illegible]
3 *In brutis etiam, Mas eminentiæ notam, ſupr[illegible] fæminam obtinuit.* pag. 11[illegible]
4 *Pili capitis ſunt ornamēto corpori vniuerſo.* p. ib[illegible]
5 *Cur quædam Religioſorum familiæ pilos & barbam abradant, quædã prolixiores alant pilos.* 1[illegible]
6 *Cur pili capitis non habeant certum accretionis terminum, ſicut pili ciliorum.* pag. 11[illegible]
7 *Pilorum contemplatio, & Philoſopho, & medic[illegible] digna.* pag. 11[illegible]
8 *Duplex vtilitas ex hac contemplatione.* pag. 11[illegible]

CAPVT III.

1 *Diſtributio totius operis, de materia primò agendum, quæ cum duplex ſit, in qua, & ex qua, a[illegible] materia in qua, prius diſſerendum.* pag. 11[illegible]
2 *Materia pilorum in qua, eſt cutis interior, nota[illegible] tur Hippocratis locus libello de natura pueri.* p. [illegible]
3 *Enarratur cutis hiſtoria ex Anatomico opere [illegible] Andreæ Laurentij.* pag. [illegible]

CAPVT IIII.

1 *Vt plantæ in terra, ſic pili in cute certam temp[illegible] riem deſiderant, in actiuis qualitatibus.* pag. [illegible]
2 *In paſsiuis quoque, mediocriter debet ſe habe[illegible]*

cut[illegible]

cutis,ad effundendos pilos. pag.27

3 *Etiam in ſecundis qualitatibus, raritate ſcilicet, denſitate; tenuitate,& craßitie debet eſſe temperata.* pag.28

4 *Ex primis qualitatibus,calor, & ſiccitas,promouendis pilis benefaciunt.* pag.29

5 *Cutis hominis,cum ſit temperatißima,debet comparari cum terra in eo ſtatu ſpectata quem ſortitur Vere.* pag.30

6 *Cur,cum cerebrum frigidum ſit, & humidum Pericranium tamen ipſi ſuperpoſitum, copioſos, prolixos,& craſſos pilos emittit.* p.31

7 *Ex ſecundis qualitatibus,raritas,& craßities ad pilorum productionem maximè cõducunt.*pag.33

CAPVT V.

1 *Cutis humana,tenuißima,& admodum imbecillis,à natura efficta eſt.* pag.35

2 *Tenuitatis cauſa eſt,vt tactus exactior,qualitatum exſuperantias perciperet, & ſpecies ad intelligendum neceſſarias ſubminiſtraret.* pag.36

3 *Bruta,craßiori,& firmiori pelle donata quam homines, quia arte ſibi veſtimenta comparare non poterant. Cur pili ſingulis annis in illis ſint decidui, temerè natura incuſatur, quod tenuiorem hominibus cutem dederit.* pag.38

4 Exa-

4 Examinatur problema Ariſtotelicum 29. & 31
ſect.10.cur Equis & Aſinis pili è cicatrice prome
re ſeſe poſſunt, hominibus non poſſunt. p.39

CAPVT VI.

1 Agreſtes homines craſſos ex vniuerſa cute pil
emittunt, quod ipſa cutis aeri expoſita craſsior &
durior euadat. pag.44
2 Alia ratio huius euentus à fine deſumpta. pag. 4
3 Natura dum cuti ſubſtraxit robur, eius incolum
tati, totiuſque corporis bono conſaluit: ſicuti cu
Strutioni amorem erga fœtum denegauit fœt
prouidit. pag.4
4 Quæ incommoda, ſequantur tenuitatem, & im
becillitatem cutis: de Scytharum more, qui vt c
tem indurarent recens natos in frigidam merg
bant, damnatur hic mos à Galeno. pag.

CAPVT VII.

1 In internis quoque corporis partibus, pili nõ nu
quam generantur. pag.
2 Pilos in renibus genitos, cum vrina exturba
docent Hipocrat. Galen. & alij. pag.4
3 In vaſis quoque ſpermaticis producti cum vri
emittuntur pag.
4 Eti

CAPITVM.

4 Etiam intra veſicam generãtur pili, qui vel ſoli ſponte exeunt, vel cum vrina pag.51
5 E mammis etiam exit pilus, quem Ariſtoteles, aliique nonnulli, in potu aſſumptum, ad vbera confluxiſſe exiſtimant. pag,53
6 Multo probabilius eſt huiuſmodi pilum intra mãmarum ſubſtantiam fuiſſe productum. pag.54

CAPVT VIII.

1 E ſtomaco pili glomeratim impliciti per vomitum reiecti. pag.55.
2 Intra cutem quoque infantibus pili generantur qui Balneo foras euocantur. pag.56
3 Morbum hunc infantilem longè diuerſum eſſe à cridonibus quos his in locis infantes è dorſo emittunt. pag.57
4 Cur Cridones illi potius è dorſo erumpant, quam ex anterioribus partibus. pag.58
5 Cordi etiã & teſticulis muliebribus adnatos pilos obſeruarunt anatomici. pag.59.
6 Sanguini quoque copioſi pili permiſti. pag.60

CAPVT IX.

1 Plica ſic appellata eſt ab implicatione, & inuiſcatione indiſſolubili pilorum omnium. pag.61

2 Plicæ Hiſtoria ſubiicitur, ex Epiſtola qua Zamoſcienſis Academiæ rector, Patauienſes medicos cõſulit. pag.62
3 Morbus hic videtur à maleficis inuectus, quod multa maleficia pilorum miniſterio exerceantur: Dæmon ab Hæbreis quomodo appelletur. pag. 64
4 Pontus Euxinus iuxta quem graſſari cœpit is morbus maleficiis infamis, in eo cultus diuinus negligitur. pag.95

CAPVT X.

1 Etiam frequens peſtis, iiſdem in locis, à maleficis excitatur. pag.66
2 Tribus de cauſis, Plica in maleficiũ referenda non videtur. pag.68
3 Morbi à maleficio ſuſcitati, ſæpè numero ſponte deſinunt. pag.68
4 Iidem morbi, medicamentis etiam poſſunt perſanari. pag.69
5 Vtrum, cor, fel, iecur, illius piſcis quem Tobias exanterauit, naturaliter, & albuginem parentis extirparint, & maleficium, ſuſtulerint. pa. 70
6 Morbi à maleficiis inuecti, certam diſpoſitionẽ in corpore deſiderant. pag.72

CA-

CAPVT XI.

1 Pilos ex exhalatione, intra corpus ſuſcitata fieri ſtatuunt, tum Philoſophi, tum medici permulti. pag. 73.

2 Non placet hic loquendi modus; tum quod non apertè determinet proximam pilorum materiam tum quod pilus ſola exhalatione conſtare non poſſit. p. 74

3 Galenus ſtatuit materiam pilorum eſſe fuliginoſum, terrenum, & craſſum, vaporem. p. 75

4 Vaporem illum, pro colorum diuerſitate, ex variis humoribus ſuſcitari, decernit idem Galenus. p. 76

5 Examinatur quid ſit fuligo, conciliantur Galeni, & Ariſtotelis, definitiones. pag. 77

CRPVT XII.

1 Duobus modis intelligitur illa quæſtio an pro colorum diuerſitate diuerſa ſit aſsignāda materia pilorum. pag. 80

2 Neque pituita albi, neque melancholia nigri, neque bilis, ſtaui pili, poteſt eſſe totalis materia. pag. 81.

3 Declaratur id ſpeciatim de pituita. pa. 82

4 Demonſtratur idem de humore melancholico. pag. 84.

5 Idem denique oſtenditur de humore bilioſo. pa. 85.

CAPTT XIII.

1 *Non ſatis expreßit Ariſtoteles, excremento ne vtili, an inutili, conſtent pili.* pag.86
2 *In pilorum materia duo diſtinguenda vnum ex quo pilus intrinſecè conſtat, alterum id quod prio-ri adiunctum colorem imprimit aliquando.* pa.89
3 *Tria ſunt excrementorum, genera, pro triplici coctione, quàm ſubire debet alimentum antequā in corporis ſubſtantiam conuertatur.* pag.90

CAPVT XIV.

1 *Vt in Affrica, ſic in cute, ſemper aliquid noui pro-ducitur, quod in hac omnis generis excrementa aggregentur.* pag.92
2 *Quorundam animalium cutaneorum hiſtoriæ, a primo de Nigua.* pag.93
3 *De pediculis alatis.* pag.94
4 *De Dracunculis.* pag.9
5 *An Pherecides Syrus ſerpentum, an pediculorum copia è corpore erumpente obierit, videri ean-dem eſſe materiam animalium cutaneorum, & pilorum.* pa.9

CA

CAPUT XV.

1 *In pilorum compoſitione, terrea portio debet prævalere.* pag.98

2 *Portio illa terrea, debet multo humido pingui perfundi, quod oſtenditur authoritatibus, ex Ariſtotele petitis.* pag.99

3 *Idem demonſtratur variis rationibus.* pag.101

4 *Quomodo caput, cum in totum adipe careat copioſos effendat pilos.* pag.104

5 *Non abſque naturæ prouidentia factum eſt vt caput vniuerſum adipe careret.* pag.104

CAPUT XVI.

1 *Materiæ pilorum, & ſeminis Sympathia.* pag.105

2 *Abundante ſemine, luxuriant; eodem deficiente, deficiunt pili.* pag.106

3 *Pili poſtgeniti tùm erumpunt, cùm corpus ſemine turget.* pag.107

4 *Pilorum & cornuum eadem eſt materia.* pa.108

5 *Hirſuties in homine magnanimitatis indicium, fortes autem ſemine, abundant.* pag.111

6 *Cur tempore belli neque edenda, neque ſerenda mentha, Cur item piloſi ſint Luxurioſi.* pagina 112

CAPVT XVII.

1 *Videtur admodum veriſimile pilos congenitos ex ſemine paterno conſtare, quod nati parentibus ſimiles habeant pilos tum in hominibus tum in Brutis.* pag.115

3 *Pili poſt geniti fiunt ex vtili excremento partium ſolidarum tertiæ coctionis.* pag.117

3 *Demonſtratur etiam ex Galeno,& Ariſtotele pilos vtili excremento conſtare.* pag.118

CAPVT XVIII.

1 *Quomodo pili vtili excremento conſtare poſſint, cum tamen fuligines & corporis excrementa ebiberc dicantur.* pag.121

2 *Quomodo pthiſicis cum cæteræ partes contabeſcãt ſoli pili magis luxurient.* pag:123

3 *Quare Enuchis barba erumpere non poteſt, quid poſſit rectitudo partium variis exemplis demonſtratur.* pag.125

CAPVT XII.

1 *Variæ ſententiæ medicorum & Philoſophorũ circa formam pilorum.* pag.1283

2 Duo-

CAPITVM.

2 Duobus modis in cognitionem animæ deuenimus primo ex diſpoſitione corporis animati, 2 ex ope-operationibus quas animatum exercet. pag.131

3 Duplex eſt accretio vna propria altera impropria, & quomodo vtraque differat. pag.135

CAPVT XX.

1 In pilis nulla pars ad nutritionem neceſſaria deſideratur. pag.138

2 Habent pili ſuas cauitates in quibus attractum alimentum recondant, & conquoquant. pag. 139

3 In aculeis herinaceorum, & in pilis Regis Nabuchodonoſor cauitates illæ manifeſtè innoteſcunt. pag.142

4 Etiam naturaliter contingere potuit illa pilorum Craſſities in pilis Regis Nabuchodonoſor. pag.142

5 Habent etiam pili ſuum natiuum calorem, cuius miniſterio alimentum concoquant. pag.142

CAPVT XXI.

1 Pilos creſcere accretione propriè dicta & viuentiũ propria colligitur ex variis locis Ariſtotelis. p.145

2 Idem demonſtratur ex eo quod Canicies, quam ex alimenti putredine fieri decernit Ariſtotelee, à cuſpide oriatur. pag.148

3 Pili non in ſolam longitudinem; ſed in cæteras quoque ſitus differentias excreſcunt, ex quo colligitur eos non creſcere per iuxta poſitionē. p.149

CAPVT XXII.

1 Pilorū proportionalia cuiuſmodi ſunt frondes arborum, pennæ auium, ſquammæ piſcium, &c. huiuſmodi, reuera creſcunt aceretione propriè dicta. pa.132

2 In tenero cerui cornu hædere ramus inſertus; fidē facit ipſum cornu nutriri & viuere. pa.132

3 Pili habent certum accretionis terminum; quem vbi aſſequuti ſunt vlterius non excreſcunt, quā-uis copioſa ad radicem ſuppetat materia. pag.156

4 Quare macula quæ in radice vnguis apparet, citò in extremitate eiuſdem viſatur. pag.158

5 Permultæ partes viuentis, etiam in decrepita ætate renaſcuntur. pag.159

CAPVT XXII.

1 D. Thomas exiſtimat pilos animatos eſſe anima totius, eius rationes. pag.161

2 D. Bonauentura vnicuique pilo ſuam attribuit peculiarem animam, eius rationes. pa.163

3 Reſpondetur rationibus pro ſecunda opinione adductis. pa.164

CA-

CAPVT XXIII.

1 *Explicatur plantarum & pilorum Analogia ratione loci in quo producuntur.* pa.167
2 *In vtrorumque etiam exortu maxima eſt proportio.* pa. 169
3 *Neque minor eſt in incremento, decremento: colorum, & aliarum qualitatum mutationibus.* p.170

CAPVT XXV.

1 *Vt in materia, & forma: ſic in cauſa efficiẽte pilorũ aſsignanda non ſatis videtur aperta Galeni mens.* pa.174.
2 *Facultas expultrix non poteſt eſſe cauſa efficiens totalis pilorum imo ne quidem præcipua.* pa. 178
3 *Pilos fieri à vi procreatrice oſtenditur ex concinna ipſorum diſtributione, tum in eadem ſpecie, tum in diuerſis.* pa.181
4 *Elegans cornuum Cerui deſcriptio.* pa.183
5 *Ex varia Phantaſiæ agitatione pili variè afficiuntur ex quo colligitur ipſos à virtute formatrice ſuſcitari.* 184

CAPVT XXVI.

1 *Tres potiſsimum aſsignantur pilorum vſus, primus*

ad tegumentum, hoc autem neceſſarium eſt vel vt ea deffendatur. pag.189

2 *Alter eſt ad ornamentum. Caput hominis quia rationalis animæ domicilium præcipuum, hoc ornamentum maximè obtinuit, arguitur ſtudium comæ affectandæ.* pag.192

3 *Tertius ad haurienda ſuperflua, tum in quantitate, tum in qualitate, ex ſubiectis partibus.* pa.296

4 *De aliquot aliis pilorum vſibus.* pag.198

CAPVT XXVII.

1 *Colorum contemplatio maximè ardua, non videtur colorum diuerſitas in temperamenti diuerſitatem referenda.* pag.200

2 *Iiſdem ex cauſis colorum mutationes & in pilis, & in plantis contingunt.* pag.203

3 *Pro ſucci alimenti copia, colorum mutationes in plantis eueniunt.* pag.203

4 *Pro eiuſdem ſucci coctione aut cruditate, accidit eorundem mutatio, quædam ipſarum partes per modum tincturæ ab aliis aſſumunt colorem.* 204

5 *Externus quoque aër immutandis plantarum coloribus plurimum poteſt.* pag.205

CAPVT XXVIII.

1 *Pilorum colores immutantur primò ob abundantiam*

tiam, vel deffectum Alimenti. pap. 207
2 Secundo ob coctionem vel cruditatem, eiuſdem alimenti. pag. 209
3 Tertio tincturam accipiunt pili à ſuperfluis humoribus, qui cum ipſis permiſcentur. pag. 209
4 Ab externo quoque aere pilorum color immutatur. pag. 211
5 Ex certa etiam aquarum proprietate tum in hominibus tum maximè in brutis certi colores pilis inuruntur, nonnunquam etiam ex phantaſiæ agitatione. pag. 213

CAPVT XXIX.

1 Ariſtoteles duas refellit ſententias de cauſis Caniciei, prima eſt Hipocratis qui caniciem fieri ab alboalimento cuti ſubſtrato decernit. pag. 216
2 Altera eorum qui caniciem ab ariditate fieri ſtatuebant. pag. 218
3 Statuit Ariſtoteles caniciem fieri à putredine. pag. 219
4 Refellitur hæc Ariſtotelis ſententia. pag. 220
5 Examinatur quid ſit putredo & quomodo fiat. pag. 221
6 Proponuntur varia argumenta contra Ariſtotelis ſententiam. pag. 225

CAPVT XXX.

1 Poteſt recipi ſententia Ariſtotelis, ſi de putrefactione alimenti pilorum intelligatur. pag.227
2 Pilorum materia à cæteris humoribus ſeparata albeſcit. pag.228
3 Variis ex cauſis idem color ſuſcitatur. pag.229
4 Caniciei cauſa eſt alimenti deffectus. pag.230
5 Altera cauſa eſt eiuſdem alimenti cruditas ex debiliore calore. pag.232
6 Accidit quoque canicies ex ſeparatione fuliginum & ex tinctura pituitæ. pag.234
7 Et certa quoque aeris & aquarum proprietate ſuſcitatur. pag.235

CAPVT XXXI.

1 Enumerantur quatuor colores medij, inter album & nigrum. pag.336
2 Cur canicies potius in homine, quam in cæteris animalibus. & magis in capite; maximè in temporibus appareat. pa.237
3 Quænam pars corporis poſtremò caneſcat. pag. 242
4 Cur palpebrarum pili non caneſcant. pag. 242
5 Cur defunctorum pili non caneſcant. pa.243

6 *Cur Rufi citius caneſcant quam nigri.* pa.243
7 *Cur pili tecti prius caneſcant quam aperti.* pagi. 243
8 *Cur in Equis canicies manifeſtius apparet quam in cæteris Brutis.* pag.244

CAPVT XXXII.

1 *Subitæ caniciei varia teſtimonia, & quæ illius cauſa.* pa.245
2 *Cur in parte dextra pili diuerſi coloris ab ijs qui ſunt in ſiniſtra nonnunquam erumpant.* pa. 248
3 *Cur pili à primo exortu quibuſdam magis nigricant quam procedente tempore.* pa.249
4 *Cur pili in homine neque virides neque purpurei fiant.* pa.249
5 *Cur canicies aliquando à cuſpide aliquando à radice inchoatur.* pa.250
6 *Cur curæ, mærores, frequens meditatio, caniciem accelerant.* pa.250

CAPVT XXXIII.

1 *Caluities ex cutis vitio & defectu alimenti ſuſcitatur.* p.252
2 *Eadem ex vitioſi ſucci permiſtione & virtutis informatricis deprauatione contrahitur.* pa.254

3 *Poſſe virum calueſcere extra venereorum vſum quãuis aliter Hippocrati & Ariſtoteli viſum ſit. pag.255*

4 *Neque etiam mulieres caluiciei eſſe immunes cõtra eoſdem. pa.257*

5 *Conciliantur duo loca Ariſtotelis quæ prima fronte ſibi contradicentia videntur. pa.260*

CAPVT XXXIIII.

1 *Cur Syncipite, potius quam vel occipite, vel temporibus, calueſcat homo. pag.262*

2 *Cur caluus repileſcere non poteſt. pag.266*

3 *Poßint ne calui, apertis varicibus repileſcere. pa. 267*

4 *Cur cæci à natiuitate, non calueſcant. pa.267*

5 *Cur; cum cæteri pili in ſenibus contabeſcant, ſupercilia ſola hirſutiora euadant. pa.268*

CAPVT XXXV.

1 *Variæ cauſæ duritiei pilorum, triplex diſcrimen inter pilos ouium, & hominum ratione duritiei. pa.270*

2 *Cur pilorum alÿ breuiores, alÿ longiores proueniant. p.275*

3 *Explicantur variæ criſpitudinis cauſæ, ex Ariſtotele & Galeno. pa.277*

FINIS.

IN DISQVISITIONEM PHI-
SIOLOGICAM ERVDITISSIMI
Domini Ioannis Tardini Medicinæ Doctoris celeberrimi

DISTHICON.

EST tuus in tenui labor hic TARDINE capillo.
Eſt tamen haud tenuis gloria parta tibi.

D. Anthonius Paluatus ordinis Cluniacenſis.

IN EANDEM DISQVISITIONEM DOMINI IOANNIS
Tardini.

Aliud Diſthicon.

CÆſarie redimita tua Medicina, decoram
Cæſariem capiti ponit & ipſa tuo.

Imbertus de Mions Gratianopolitanus.

ERV-

ERVDITISSIMO DOMINO IOANNI TARDINO Medicinæ Doctori.

DISTHICON.

HÆC *te barba ſophon facit, hæc eadem tamen obſtat.*
Barbatus poßit quin Caper eſſe Sophos.

Claudius de Chaulnes Gratiano-politanus.

AD EVNDEM.

DISTHICON.

V*T Pilus extincto ſuccreſcit corpore, Creſcet*
Sic tuus hic etiam poſt tua fata pilus.

Nicolaus Choſſonius Romonenſis.

PRIVI-

PRIVILEGE DV ROY.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France,& de Nauarre: A noz amez & feaulx les gens tenans noz Cours de Parlemēt,Preuoſt de Paris, Seneſchal de Lyon, & à tous autres noz Iuges,& Officiers qu'il appartiendra,& à chacun d'eux,Salut. Noſtre cher & bien-aimé Guillaume Linocier,marchant Libraire Iuré en l'Vniuerſité de Tournon: Nous a treshumblement faict remonſtrer qu'auec grand ſoing,labeur,& diligence,il auroit recouuert vn liure intitulé, *Ioannis Tardini Turnonenſis Doctoris Medici, & Philoſophi diſquiſitio phyſiologica, de Pilis,* & autres traictez faicts par ledit SieurTardy,cōcernās la Medecine,lequel il deſireroit mettre en lumiere, & faire imprimer pour la commodité du public, lequel ledit ſuppliant imprimeroit volontiers, vendroit & debiteroit, & pour autant qu'il eſt neceſſaire y faire pluſieurs fraiz, il craint que les autres Imprimeurs le vouſiſſent fruſtrer de ſon labeur le faiſant pareillement imprimer, vendre, & debiter : Il nous à faict ſupplier & requerir luy vouloir ſur ce pourueoir. Nous à ces cauſes auons permis, & permettons audit Linocier de pouuoir imprimer, ou faire imprimer ledict liure en tel volume que bon luy ſemblera, & ce durant le temps & terme de dix ans ſuiuans & conſecutifs, à commencer du iour & datte que l'impreſſion dudict liure ſera paracheuée, & parce que bien ſouuent il ſe trouue que quelques vns pour la curioſité qu'ils ont de gaigner, en abuſant du labeur d'autruy,& ſans tenir compte de noz lettres de priuileges par nous octroyees, entrepre-

nant

nant d'imprimer des liures en des lieux ſecrets, au grand preiudice du public, ſans y mettre aucune marque, ny lieu ou ils ſont faits, alleguant pour excuſe, que noſdictes lettres de priuileges ne leur ont eſté ſignifiées. Auons par ces meſmes preſentes faict & faiſons treſ-expreſſes inhibitions, & defenſes à tous imprimeurs, Libraires & autres qu'il appartiendra de quelques lieux, & villes qu'ils ſoyent d'imprimer, vendre, diſtribuer, ne debiter, ſoit en priué n'en particulier, n'en aucune maniere que ce ſoit ledict liure à peine de tous deſpens, dommages, & intereſts dudict Linocier, & de deux cens eſcus d'amande, applicable moytié à nous, & l'autre audit Linocier, voulans à ceſt effect que appoſant vn extraict ſommaire de ceſdictes preſentes au commencement ou à la fin de chaſcun deſdits liures, elles ſoient tenues pour deüement ſignifiées, & veuës à la cognoiſſance particuliere de tous ceux qu'il appartiendra, ſans qu'ils en puiſſent prendre cauſe d'ignorance. Si vous mandons, & à chacun de vous treſexpreſſement enioignons, que du contenu en ceſdictes preſentes, vous faictes, ſouffrez, & laiſſez ledict Linocier iouyr & vſer plainement, & paiſiblement & contre ceux qui y contreuiendront, procedez & faictes proceder incontinent & ſans delay par les voyes de Iuſtice, & ſur les peines ſuſdictes, Nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques: Pour leſquelles & ſans peiudice d'icelles ne voulons eſtre aucunement differé: car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 19. iour d'Aouſt, l'an de grace 1608. & de noſtre regne le vingtieſme

Par le Conſeil,

BRIGARD.